VIR BONVS.

Q. Vir Bonus est quis?

R. *Qui consulta Patrum, qui leges Iuraque seruat*

TEMPERANTIAE,
PRVDENTIAE,
IVSTITIAE,
FORTITVDINIS.

Disce mori mundo, viuere disce Deo.

Authore *Tho. Moundeford*, Cantabrigiense alumno, Collegiorum Regalium Canta. & Æton.: nunc *Socio Coll. Med. Lond.*

Impressum Londini per F. KINGSTONVM. 1622.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE PRINCIPI, IACOBO,

Britanniæ Magnæ Franc. & *Hibern. Regi, fidei propugnatori, pacis fundatori, Bonarum literarum Patrono.*

CVm de Viro Bono aliquid scribere instituisse, atq; institutum absoluissem,

multum diuq; cogitando, animo reuoluebam, cuius opem ad boni viri patrocinium implorarem: tandem is mihi visus est aptissimus, cuius in Deum Religio: in bonos pietas: in omnes charitas clarissime elucebat. Quare (Rex Potentissime) te præter cæteros his virtutibus insignitum & florentissimum, quæ boni viri integerrimam essentiam complectuntur:

vt ad huius defensionem libenter accedas submisse rogo: cuius in dictis grauitas, in factis prudentia, in priuatis diligentia, in publicis solertia facile fidem faciunt te Bono Viro nunquam de futurum. Hæc domi intuemur maxima: Hæc foras, ita magna omnes admirantur & prædicant, vt nihil his addi posse videatur. Fruere igitur Rex Serenissime, à virtu-

tis vberrimis fontibus hausti, istis tuis iustissimis laudibus, & tam diu fruere, quoad harum præconio, omni nationi, omni ætati, omni memoriæ celeberrimum, commendatissimum & nobilitatissimum te futurum esse non pœnitebit.

Maiestati tuæ omni obseruantia deuotissimus,

THO. MOVNDEFORD.

Ad Lectorem.

AVdire vocem visus sum dicentis: Tantumne est à re tua otii tibi aliena vt cures? Huic sic respondeo. Medico nihil oportet esse alienum, quod ad Dei cultum, Regum honorem & obseruantiam, omnium vtilitatem & charitatem spectat vel iurato fas est dicere. Nam cum omnis actionis approbatio, vel rationis firmamento, vel authoritatis grauitate, vel exemplorum commendatione stabiliatur: quis est qui se rationis participem, Religionis memorem, charitatis patronum audet profiteri,

tis vberrimis fontibu

TIGHTL
BOUND

Maiestati tuæ omn
obseruantia de
uotissimus,

THO. MOVNDEFORD

TLY

ND.

charitatem spectat vel iu-
to fas est dicere. Nam cum
mnis actionis approbatio, vel
tionis firmamento, vel autho-
tatis grauitate, vel exemplo-
m commendatione stabilia-
r: quis est qui se rationis par-
cipem, Religionis memorem,
haritatis patronum audet pro-
fiteri,

fiteri, si illa officia deserat, quæ spectant ad Deum, Regem, & proximum? Equidem quis est cui ex animo magis persuasum esse debet: Deum, Dominum Authorem, & moderatorem omnium rerum esse, quam Medico? Is in humani corporis structura à summo, sapientissimo & perfectissimo artifice, omnes eius partes affabre ad vsum, ad venustatem concinne ad excogitatã speciem elaborate factas intuetur, tractat, & admiratur. Nihil in his fortuitum, nihil casu factum agnoscit, omnia summa admiratione obstupefactus laudat. Quid est igitur quod quenquam hominum magis ad Deum colendum alliciat, quam harum rerum conspectus, concinnitas & pulchritudo? Quis animalis spiritus per neruos: vitalis per arterias: naturalis per venas

venas ductum à suis fontibus tanquam per canales non admiratur; cum eos in vniuersum corpus transfundi & infundi fateatur, sola natura duce? His perspectis & cognitis, si quis naturæ vim, cuius Deus Ministerio vtitur laudet: ipsamque tanquam Deicolam suspiciat, & honore aliquo dignam putet, huic venia est concedenda. Non enim morbos curat Medicus aut Medicina, sed natura, à qua omnis medicamentorum vis proficiscitur & in actum producitur. Natura enim in Medicinam primo: Medicina proxime in morbum agit: vtriusque vero vim soli Deo, qui curat omnes infirmitates, acceptam referamus. Quare etsi quidam homo Gesnerum è Latina in vernaculam Linguam conuertens: dum virus acerbitatis suæ in omnes

Medicos

Medicos euomit, hanc labem Medicinæ professoribus & nostri ordinis hominibus aspergit, vt eorum pauciſſimos veros Christianos agnoscat: tamen ex pluribus vix paucos Romanos, ex omnibus certe non vnum Atheum reperiet: nisi charitatis oblitus, cuius præco esse debet omnia ad suum iudicium reuocet. Quoniam autem veritas contra omnem malitiam, calumniam, fictamque labem facile se per seipsam defendit, huius erroris Authorem si non despectum, certe neglectum relinquam. Eorum qui Medicinæ laudibus floruerunt, & senescentes ad Sacras literas tractandas se contulerunt quamplurimos reperiemus. Horum ego exemplar septuagesimum sextum annum agens, mihi ad imitandum proposui, in re tam laudabili & bono

Viro

Viro digna. Atque vt à noſtra-
ibus exordiar: Linacerus, de
uius ſummis laudibus in re Me-
lica eſt omnium gentium con-
entiens fama: ſenex Sacris ſe
otum deuouit, & ſacerdotali
inceſſit, amictus toga coccinata
& pileo quadrato. Franciſcus
Valeſius, vir & medicus in pri-
mis doctus, ętate prouectior, Sa-
ras literas ita ſtudioſe perlege-
at, vt quæ in his occurrunt Phi-
oſophica, eadem acute & accu-
ate tractaret in eo libro qui Sa-
ra Philoſophia eſt nominatus.
His accedit Leuinus Lemnius,
ingulari ingenii acumine, qui
imilitudines & parabolas, quæ
n Bibliis ex herbis atque arbo-
ibus deſumuntur diligentiſſime
& dilucide explicuit.

Quare quid impedit, quin in
noralibus virtutibus primariis
berius & fuſius explicandis op-
timorum

timorum hominum commemorabilibus Virtutibus prædito-
rum exempla imitandi causa in
medium proferam, quæ in sa-
cris copiosissime occurrunt?
Quis Diuinas Sententias autho-
ritate cœlesti Scriptis manda-
tas, quæ ad virtutem & pieta-
tem hortantur, hoc loco exclu-
dendas sentiet? Ex quibus, tan-
quam ex copiosissimis fontibus
omnis bene viuendi & moriendi
Ratio & institutio est hauri-
enda.

Temperantiæ.

Temperantia in
- victu: Ieiunium, Ebrietas.
- veſtitu: Sumptus, Forma.
- moribus: Obſcœnitas {in verbis. Leuitas {in actionibus

PRæclarè (vt multa) Romanorum Oratorũ ſplendor M. T. Cicero. Omne quod honeſtum eſt, id quatuor fontium oritur ex aliquo. Aut enim in perſpicientia veri ſolertiaque verſatur; Aut in hominum

minum ſocietate tuenda
tribuendoque ſuum cuique
& rerum contractarum fi-
de; aut in animi excel-
magnitudine & robore;
aut in omnium quæ fiun
quæque dicuntur, ordine &
modo.

Ex quibus eſt videre, ſol
naturâ duce, olim homine
virtutis participes, ad ha
quatuor virtutes, tanquam
ad normam Iuris, & formu-
lam iudicij, omnes actione
ſuas direxiſſe. Has pluribu
ab Oratore enumeratas
mutato ordine paucis enar
rabo; quæ ſunt huiuſmodi
1. *Temperantia*, 2. *Prudentia*

3. *I*

. *Iuſtitia*, 4. *Fortitudo:* Has cum tractandas ſuſcepiſſemus, propter eam, quam Sacris literis tribuimus, dignitatem, recenſendo ordinem permutauimus, quas libro Sapientiæ *Salomonis* Cap. 8. 7. ſic collocatas reperiemus. Harum vnicuique ſuus honos eſt concedendus, quem ſuo iure vendicet. Quoniam autem nihil hominem ad belluarum naturam propiùs accedere declarat, quam ſi in dictis obſcænitas, in factis turpitudo: in vita intemperantia appareat: optimo iure illi virtuti primus locus eſt dandus, quâ

plurimùm antecellimus bestijs, quæ solo appetitu mouentur. Etsi enim illa virtus, quæ in veri inuestigatione versatur, diuinam naturam quàm proximè attingit: tamen si tantillum vir prudens temperantiæ & modestiæ fines transilierit, actum est de Prudentia. Quomodo enim vir prudens vere haberi potest, qui in sua vita instituenda à Temperantis officio discedet? Vmbram in illo prudentiæ inuenire nemo potest, qui temperantiam & modestiam non consectabitur. Nam quis fructus

potest

poteſt eſſe hominis inanem prudentiæ gloriolam aucupantis, ſi quæ in ſapiente maxima ſunt, eadem aut libidine deprauari, aut luxuriâ corrumpi patiatur: in quo neque mens, neq; manus, neque pedes ſuo officio fungi poſſunt? Belluarum hæc ſunt, non prudentis, ratione vtentis.

At Temperantes & ſobrij, cum illa aſpernantur & fugiant, in quibus turpitudinis illecebræ continentur; quibus mentis error adſciſcitur, & corpus rebus gerendis effætum traditur; ſemper ſibi conſtant;

nunquam libidinosi, nunquam temulenti, nunquam delitijs capti: nunquam voluptatum blanditijs irretiti: semper frugi sunt, pleni pudoris, pleni pietatis, & moderatam in omni re seruant constantiam. Quare qui eam virtutem habet, quam prudentiam vocamus, tantoque maiorem, vt reliquos omnes superasse videatur: si modestiæ & continentiæ præcepta deserat: prudens dici nullo pacto potest, nisi cum ratione insanire dicatur. Atque hoc loco non Philosophicam tantum temperantiam

rantiam ſuo more pertra-
ctabimus: ſed eam, in qua
plurimæ ſunt diuinæ virtu-
tes contentæ. Hæ ſunt le-
iunium, vita, quæ confor-
matione & moderatione
continentiæ & temperan-
tiæ gubernatur: quibus eſt
coniuncta omnium rerum
humanarum deſpicientia.
Hæ non innatæ, ſed datæ,
non adſcititiæ, ſed inſpira-
tæ: non extraduce, vt quæ
corpus alunt ad luxum, ſed
ad modeſtiam reuocant. In
veſtitu moderationem: in
ſermone decorum: in factis
honeſtum: in victu (in qua
omnes reliquæ virtutes

contineri videntur) frugalitatem imperat, quam veteres modeſtiam & temperantiam vocabant, virtutemque maximam iudicabant. Et quia non cum Academicis & Peripateticis, ſed cum Chriſtianis & Theologis res eſt futura: quæ virtutes Diuinæ ſub continentia & temperantia continentur, Chriſtianorum more explicabimus: atque de Ieiunio primum dicam, non modo ſacris literis celebrato, ſed optimorum exemplis comprobato, & ſummis laudibus commendatiſſimo. Quan-

Ieiunium.

tus

tus est leiunij fructus, quanta vis: quantum auxilium; ad animam excolendam: ad motus & appetitus carnis sceleratos sedandos; ad sanitatem tuendam vere & religiose nos docet Chrysostomus: Ieiunium (inquit) est animæ alimentum, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat. Hinc apud maiores nostros viros religiosos & doctos ieiunia instituta fuerunt, vt Christiani paratiores reddantur ad vacandum rebus diuinis. Quare qui gulæ indulgent, & tanquam

ex porcorum grege, conuiuijs epulisque saginantur, quibus intempestiuis & immodice sumptuosis plurimum temporis tradunt: corpus certe animamque diuinis actionibus ineptum reddunt. Libidinosi enim & intemperantes, religionem, pietatem & virtutem non sapiunt: quibus bona omnia ita amara sunt, tanquam mors in olla.

Tusc 5. Quam indigna sunt Christiano illa apud Ciceronem de Sardanapalo decantata carminibus? Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido ausit, at illa iacent multa

multa & præclara relicta. Extat in ſacris pro delicijs immoderati appetitus Achabi memoria, qui vxorem incontinentiæ miniſtrã ad homicidij maleficium incitauit. Nota ſatis eſt hiſtoria, ſed pauciſsimis perſtringam. Dixit Achab ad Naboth, Da mihi vineam tuam, vt auctiorem faciam olerum hortum. At Naboth reſponſum recuſantis cum moleſte ferret, in lectum triſtis ilico ſe coniecit. Huic vxor vt mederi poſſit, Naboth ſummo ſcelere è vita ſuſtulit, vt maritus vinea iniuſte potiretur. In quo

Reg. 1. 21.

quo facto ita auaritiæ crimen cum Delitiarum intemperantis appetitus peccato est coniunctum: & homicidij scelus ita vtrisque occurrit, vt difficilius dictu sit, vtrum in viro auaritiam, potius quam appetitum. In muliere cæcum, in maritum amorem quam in Naboth crudelitatem iustius & grauius accusem. Hoc certe statuo nullum sermonem tam acerbum, nullam pœnam tam grauem, nullum iudicium tam seuerum fingi, excogitari, aut statui posse, quod cum hoc scelere, optimo iure qua-

quadrare non posſit. Inſana fuit in illo delitiarum cupiditas: ſed crudelis amor fœminæ, quæ mariti ſatietatem innocentis vitæ antepoſuit. Eſt in appetitu neſcio quod maleficium, quod tanquam venenum, etiam his, qui ſapientes appellantur, ingenium eripit. Eſau ſi appetitum rationi obedientem præbuiſſet: hæreditarium ius, rubro Iuri non poſtpoſuiſſet, quod tam auide exorbere concupiuit. Teſtantur annales, formam Iudith aditum ad Holofernem feciſſe faciliorem: ſed ad cædis opportuni- Gen. 15. 29

tunitatem vinum nimium cæna exhauſtum. Scriptum enim legimus, plus ſolito vini eum hac nocte ingurgitaſſe. Quare facilime vino, ſomno, & ſtupro pleno illi à ceruicibus caput abſcindebatur. Ex quo eſt perſpicuum, quam complicata & implicita eſt vitiorum ſoboles, quæ ita multiplici coniunctione connectuntur, vt mutua communitate ſimul tanquam ex vna radice propagantur. Oculi enim illius incontinentes mulierem ad illum propter formæ venuſtatem pellexerunt, & quia ſine Cerere &

Baccho

Baccho friget Venus: violentus multa nocte bacchabatur.

Neque in victu ſolum, continentia, quæ eſt Ieiunij optimus fructus, cernitur, ſed in dictis & factis ſpectatur: nam manus & oculos habere debemus continentes. Vnde religioſe Pſalmiſta; Auerte oculos meos Domine, ne videant vanitatem. In natalitijs Herodis, ſi ſaltantem Herodiadis filiam oculis continentibus Herodes eſſet intuitus, Ioannem Baptiſtam, laſciuæ ſaltatricis rogatu, minime capite mulctaſſet.

Quanto

Quanto melius Pericles Sophoclis leuitatē prętore indignā, pueri pulchri præ-tereūtis pulchritudinem nimiū admirātis, iuſtiſſima vituperatione reprehēdebat, quod oculos non haberet cōtinentes? Sed iterū me ad ieiunium conuertam, quod in Temperantia primum locum occupat. Ieiunij cum oratione coniuncti tantus fructus eſt, tam copioſa & fertilis vtilitas: tantum in re priuata & publica emolumentum & commodum, vt ad res magnas gerendas ſiue forenſes, ſiue bellicas, maiores noſtri, homines religioſi,

ligiosi, prudentes, & studiosi, nisi ieiuni, nunquam accederent.

Ieiunium autem aliud est spontaneum & priuatum: aliud publicum, authoritate sancitum & mandatum. Vtriusq; apud veteres vsum fuisse creberrimum fidem faciunt veteres rerum gestarum annales. Spontanei & priuati ieiunij testis est Dauid, qui ægrotante filiolo, quem stupro concepit Bersebа, deprecatus est Dominum pro puerulo: ieiunauit ieiunio: & ingressus seorsum iacuit super terram. Testis est Achab,

Ieiunium duplex.

2. Sam. 12. 18.

1.Reg.21. Achab, qui audito Prophetæ illi sceleris nefarij & truculenti grauissimam & iustissimam pœnam minitante, intrauit in domum suam cum mœrore ieiunans. Testis est vir inprimis pius Propheta Daniel, qui ieiunans sacco & cinere indutus, orauit Deum, vt ruinam & interitum populo imminentem auerteret. Dan.9.3. Testis est Anna Prophetissa, quæ vidua in ætate prouecta annorum octoginta quatuor, non abscedebat à Templo, ieiunijs & deprecationibus colens Deum noctem & diem. Luc.2.37.

Altera

Altera ieiunij ſpecies eſt publica, non minus quam prior religioſa, legitima & neceſſaria. Quæ Authoritate Regis, aut eorum qui ſummũ locum tenent, præcepta & imperata, ſine ſcelere deprauari aut contemni nullo pacto poteſt. Huius generis eſt illud Dauidis occiſõ Saul, tum militum ieiunium luctuoſum, acerbum, graue, religioſum, & charitatis pleniſsimum. Pauci enim inuenti ſunt, qui inimicorum mortem triſtes lachrymantur, miſeria commouentur, aut interitũ lugenti. At Dauid

Ieiunium publicum.

deuictis & extinctis inimi-
1.Sam.14. cis, vna cum militibus ieiu-
nium luctu, & mœrore, pleniſsimum, vſque ad noctem produxit. O præclarũ exemplum charitatis & obedientiæ! triſtis in lamentis iacens ieiunium Dauid imperat, mandato milites parent vel dicto citius. Maxime memorabilis eſt illa re-
Ionas 3. gis Niniuitarum in Ionam obſeruantia, qui Prophetæ triſtiſsimarum rerum nuncio citiſsime & lubentiſsime auſcultauit: & edicto vetuit, dicens, Nec homines, nec iumenta, nec pecora guſtent quippiam: paſcantur,

tur, aut bibant aquam. Quo facto placatus Deus, miserrima illa à Propheta prædicta à ciuitate propellebat. Quis igitur non videt ieiunia tam publica, quam priuata, ita Deo esse grata, vt nullum sacrificium solenne & statum illi magis acceptum esse possit?

Minime tamen sentio, quin vnusquisque sibi ipsi ieiunandi modum & tempus possit statuere. At quæ authoritate publica, regis mandato, promulgata & stabilita sunt, vel religionis, vel reipublicæ causa, qui obseruare & retinere

recusant, vel sui nimium sunt amantes, vel certe sunt amentes. Diuinas enim leges & humanas contradicendo reijciunt. Vtinam tamen homines leuiculi, qui ea tantum exosculantur & amplectuntur, quę noua sunt & sua religionis simulatione, vt salubrioris & purioris iudicij reliquis videantur, hæc quę sua sunt relinquerent, in Dei mandatis obseruandis essent diligentiores: & in præceptis Regis negligendis cautiores. Nam qui publicam authoritatem contemnunt, & ad suum arbi-

trium

trium omnia reuocant & ſua ratione omnia metiuntur: non tam in terris imperantis mandatum: quam ſummi Dei poteſtatem ſceleratiſsime reijciunt, quorum illud eſt improbi & imprudentis; alterum impudentis & diſſoluti. Turpe enim eſt, valde vitioſum, hominũ bene imperantium inſtituta aſpernari: at ſummi Dei præcepta diuina qui non admiratur, tuetur, & pro viribus non colit & conſeruat, is dum conſceleratam & nefariam hanc opinionem alit, tanquam immanis bellua ab hominũ

ſocietate citiſſime amouetur. Sublatis enim legibus diuinis & humanis, nullus eſt regni firmamentũ, nullum ſocietatis vinculum, nulla conuentuum aut pactorum ſtabilitas, nullum iniuriarum remedium: inſtitię propugnaculum certum nullum.

Atq; vt ad iciunium reuertatur Oratio: Legimus regem Ioſaphat timore perterritũ, propter inimicorum copias & armatorum multitudinem, totum ſe conuertiſſe ad Dominũ, orantem & prędicauit iciunium vniuerſę nationi. Quare

2. Paral. 20. 3.

quę

quęcunque ſcripta ſum, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vtinam qui ſalubrioris & purioris iudicij reliquis ſe profitentur, obtemperarent & obedirent magiſtratibus, neque pro ieiunio conuiuium pararent, his pręſertim diebus, in quibus conuiuari legibus eſt interdictum. Neſciunt inſani, neſciunt, qui legibus abſtinentiam imperari nolunt, quantum à ſacris literis, religioſorũ pręceptis, optimorũ exemplis aberrare ſe ſinunt. Cenſenda igitur eſt, & corrigenda hæc nouorum hominum opinio,

nec committendum, vt de ieiunij antiquitate, potestate, & necessitate paucorum amentia quidquam detrahi videatur, nam siue diuinis, siue publicis, siue priuatis rebus animum applicemus: ad omnes animę actiones obeundas, ad corporis officia exequenda, ad cœlestium rerum considerationem contemplationemque nos faciet paratiores. Sed ad exempla veniamus. Teste enim Angelo Raphael, tanto est oratio gratior, quanto est cum ieiunio coniunctior [emollit mores, nec sinit esse feros]

nam

am carnis terit ſuperbiam
otus cibique parcitas. Etſi
nim abſtinentia, quę ieiu-
ij pars eſt maxima, homi-
emque ad bene orandum
ciet promptiorem : ta-
nen niſi ſpontanea ſit, non
oacta, vera, non ficta, in
ominum gratia aucupan-
a occupata, religioſiſsime
ei cultui deuota, Deo plá-
ere nullo pacto poteſt.
rimum igitur cum à cibo
& potu abſtinere in animũ
ducas tuum : opera tene-
rarum remoueantur : iui-
icitiarum ardores coer-
eantur : effrenatæ & ina-
es cupiditates (quę nihil

deſi-

desiderable concupiscunt) rationi obtemperent, vt bona opera propagentur. Quam fuit religiosis indignum illud Ieiunij genus, in quo à carne, pisce, lacte, & ouis abstinentes homines docti, ad mensas vino, epulis, & delicijs lautissime instructas accedere non recusabant: in quibus maior est quam in alijs cibis luxuriæ significatio, maior ad libidinem stimulus, maior ad crapulam, & suauior inuitatio? Epicuris hæc fuit digna abstinentia, non Theologis. Absit, vt hoc modo ieiunij commodis illudamus,

mus, quo nihil Christiano dignius, nihil in sacris laudabilius, nihil ad animę & corporis salutem tuendam conducibilius, ex cogitari potest. Hęc cum sint maxima, assequi nullo pacto possumus, nisi ad ieiunium Oratio accesserit, qua, tanquam extensa manu, oblatum Deo labiorum sacrificium porrigimus, & gratiam à Deo gratis datam attrahimus. Oratio.

Danda igitur opera est, vt vere si ieiunare velimus, orationi inuigilemus diligenter. In qua prima lex sanciatur: vt fide nitatur; altera,

altera, vt res turpes non rogemus. Tertia in petendis, vt noſtra optio Dei voluntati obſequatur & pareat. Quarta, vt ſi quæ rogamus non aſſequamur, Deo pertinaciter infenſi non ſimus.

Magna profecto eſt Orationis vis, ſiue vt potiamur quę concupiuimus: ſiue vt ea propulſentur, quę nobis nocitura veremur.

am. 1. 7 Anna vxor Elcanæ, cum propter ſterilitatis offenſionem, ab æmula, ignominioſa quædam pateretur: lachrymis profuſis obnixe à Deo contendebat, vt ſui miſe-

iſereatur, & ſterilitatis
pprobrium auferret. Ex-
udiuit eam Dominus, &
rauida facta matre, ſaluo
artu, pater auctus eſt filio-
. In ſumma caritate an-
onæ propter pluuiæ de-
ectum, regnante Rege A- 1.Reg. 18.
hab, cum non tam caritas, 44.
uam fames, & inopia in-
raueſceret, Elias Prophe-
a pluuiam copioſam à Deo
xorauit, qua impetrata,
acta eſt ſalus Regi & po-
ulo. Nota ſatis eſt Abra-
ami Hiſtoria. Is cum ſo-
um mutaret, meridiem co-
itans, regnum Regis Abi-
nelech diuertebat, quo ca-

ſu

ſu factum eſt, vt rex, Sarę pulchritudine & formę captus mulierem Abrahami vxorem ad ſe pellicere conaretur. Hoc facto commotus Deus, fœminarum omniũ, tam Reginæ, quam ancillarum vteros concluſit; ſed orante Abrahamo omnes ſanæ factę ſunt. Ponamus (obſecro) ante oculos, Annæ, Eliæ, & Abrahami exempla: quorum preces ſi diligenter obſeruemus, nihil in his propoſitum aut auditum reperiemus, in quo fidei, deuotionis, & charitatis ſignificatio non elucet. Anna ſororiz

roriæ fœcunditatis æmula, vt ſterilitatis ſcandalum vitaret, precabatur Dominum. Filij enim & fructus ventris ſunt Donum Dei. Elias, vt famem depelleret, cum prece & obſeruatione humili ac ſupplici vteretur, quod voluit impetrauit. Domini enim eſt terra & plenitudo eius: ipſe dat eſcam omni carni: & per eum iam volucres cœli, quam animalia terreſtria, paſcuntur. Abrahamo, vt regis familiæ ſterilitate laboranti, mederi potuiſſet, in precibus & optatis occurrebat Deus. Quare ſi eorum exempla

ſu factum eſt, vt rex, Sarę pulchritudine & formę captus mulierem Abrahami vxorem ad ſe pellicere conaretur. Hoc facto commotus Deus, fœminarum omniũ, tam Reginæ, quam ancillarum vteros concluſit; ſed orante Abrahamo omnes ſanæ factę ſunt. Ponamus (obſecro) ante oculos, Annæ, Eliæ, & Abrahami exempla: quorum preces ſi diligenter obſeruemus, nihil in his propoſitum aut auditum reperiemus, in quo fidei, deuotionis, & charitatis ſignificatio non elucet. Anna ſoroziæ

roriæ fœcunditatis æmula, vt ſterilitatis ſcandalum vitaret, precabatur Dominum. Filij enim & fructus ventris ſunt Donum Dei. Elias, vt famem depelleret, cum prece & obſeruatione humili ac ſupplici vteretur, quod voluit impetrauit. Domini enim eſt terra & plenitudo eius: ipſe dat eſcam omni carni: & per eum cam volucres cœli, quam animalia terreſtria, paſcuntur. Abrahamo, vt regis familiæ ſterilitate laboranti, mederi potuiſſet, in precibus & optatis occurrebat Deus. Quare ſi eorum exempla

empla imitari velimus, ad-
hibenda est cura & cogita-
tio, vt petenda religion
metiantur, fide promou
antur, Dei gloriæ deuou
antur, & ad charitatis fo
cietatem referantur: qui
bus neglectis, omnis impe
trandi spes tollitur. Atqu
hoc etiã in precibus ma
me vitandum est, de qu
non est facile præcipere
ne temere aut inconsulte
orandum accedamus:
quid turpe rogemus, qu
ad luxum abutamur, a
quod ad nostram conce
piscentiam explendã co
ducat: sed quod ad Dei glo
ria

riam illustrandam, & amplificandam conducat & valeat.

Cum Deo sermo est futurus in solio sedente Angelorum illustrissimo cœtu stipato: cœlestis splendoris fulgore collucente; qui omnia videt, omnia perlustrat, & intima cordis perscrutatur. Quare qui cum illo Deo omnipotente rem habere statuet: caueat vt à corde exulet impietas: à dictis leuitas; in gestu humilitas & obsecratio cernantur. Inuenti autem multi sunt, qui cum illa Diuinę misericordię plenissima au-

diuerint; Petite & dabitur
vobis: pulsate & aperietur
quisquis enim petit acci-
piet, & qui quærit inueniet
homines impudici & auda-
ces ad orandum prosilium
proterue; obliti Dei maie-
statis, omnia promiscue pe-
tunt, & pene nescij quid ve-
lint. Horum optionibus nisi
fuerit satisfactum, in Deum
concitati & infensi, conuitiis
& blasphemiã in Deum ex-
cogitantes, incusationibus
querelis & maledictis (tan-
quam furiæ) ipsum infes-
antur: sed nesciunt excor-
des, & ignari, cum diuina
potentia esse coniuncta

pru-

entiam, cum prudentia
ſtitiam, cum iuſtitia miſe-
cordiam. Quare prudens,
uæ nobis profutura ſunt,
ognoſcit: & quia iuſtus &
iſericors, ad noſtram per-
itiem & interitum exorari
non ſinet. Neq; nouum
t inauditum videri debet,
omines plebeios, aut mi-
oris ſcientiæ viros, ad ea
tenda præcipites ferri,
uæ minime cum Dei vo-
ntate aut charitate con-
niunt: ipſi enim Apoſto-
Iacobus, & Ioannes, cum
cios Hieroſolymam à
hriſto præmiſſos, vt ho-
itium pararent, repulſam

passos audirent; dixerunt, Domine, vis dicamus, vt ignis descendat è cœlis, & consumat eos? Conuersus autem Iesus, obiurgauit eos, dicens; Nescitis qualis spiritus vos estis. Hoc si Apostolis potuit contingere, vt charitatis obliti subitum & inexpectatum aliorum interitum & exitium optarent, quid de alijs putare debemus? qui leuissimis de causis execrantur, & quasi mala precantur, si optatis suis omnia non occurrant? Apostolos autem Christus tam seuere in alios statuentes acerbe increpuit, & eorum

eorũ inconsiderantiam cor-
rigebat: quod profecto
nunquam feciſſet, niſi ſibi
ngratam, illis indignam,
udicaſſet.

Elaborandum igitur eſt,
t caute ad precandum,
rudenter ad optandum,
unquam ad execrandum
eniamus: ne carnis ſtimu-
is excitati & commoti, pie-
atis & charitatis præcepta
eferamus. Quare vt ad
ene precandum ſimus ap-
iores, ieiunio corpus eſt
aſtigandum: animi appe-
itus rerum diuinarum me-
itatione, ne à pietate de-
ectant, dirigendi: cogita-

tiones ita in rerum cœleſtiū meditatione exercendæ: vt in geſtu & actione humilitas propter Dei maieſtatem, in Oratione, diligens attentio: in ſpe, confidentia, in fide, conſtantia retineatur.

Vltimo loco monendi ſunt, vt qui orent, ſi optati Deus non reſpondeat, nec animo ſint demiſſo, nec in Deum offenſo, ſed Dei voluntatem patienter expectent, non repugnanter.

2. Sam. 12. Dauidi, cum ægrotum filiolum mœrore & ieiunio triſtiſsime lugeret, tanta acerbitate, vt ſpreto ſeruo-

rum

rum consilio, in maximis luctibus vsque ad septimum diem permaneret, nec in filium amor, nec in Deum fides defuerunt; tamen filij salutem nec exorauit, nec Deo succensuit: sed mortuo filio, luctum & lachrymas abstergebat. Hoc est religiose lugentis facere, quod ipse fecit. Perspecto enim Dei decreto, nec contradicendi, nec irascendi tempus est: cui non parere, quid aliud est quam Gigontiũ more bellare cum Dijs, vt est in Prouerbio? Religiosus fuit in Saulem Samuelis amor, qui ipsum

regno eiectum ita adamauit, vt per plurimos dies orando à Deo contenderet, vt illi inobedientiæ delictũ ignosceret, tantoque studio cum Deo egit, vt non prius desisteret, quam illi à Deo interdictum fuit: quo audito, mandato obtemperabat, & religiose dicto paruit. Vtinam qui præter modum in luctu & lachrymis sunt profusiores, si quid aduersi acciderit, vel amicorum morte, vel diuitiarum deperditione & iactura, non ad casum, aut fortunam, ea reuocarent, sed ad Dei voluntatem, & malæ actæ vitę

pœnam,

cœnam. Dominus quos amat castigat.

Nec minus inepti sunt, qui Dei in annuendo tarditatem cum incusatione & murmure reprehendunt, & illi, penes quem est omnis potestas, & prudentia, audiendi, largiendi, & audiendi modum & tempus statuunt. Nunc de ieiunio & oratione satis est dictum: reliquum est ut quæ de Temperantia supersunt dicenda explicemus. Qui eos solos intemperantes sentiunt, qui ciborum delitijs & varietate se oblectant, valde errant: nam qui ludis & iocis præter

modum

modum delectantur, & tanquam ſummum bonum colunt & admirantur, non minus quam Epicuri intemperantes haberi debent. Quique ſe libidini deſidiæque dedunt, in intemperantium numero cenſendi ſunt.

Qui aues & canes ita amant ad venandum hominis inferioris ordinis, vt rem ſuam familiarem et domeſticam negligant, aut diſſolute profundant; non minus quam temulenti, ebriosi et mulieroſi temperantiæ præcepta reijciunt. Non enim eſt committendum vt

quæ ad familiam alendam
sunt instituta & comparata
necessaria, eadem ad canes,
tauros, vrsos aut alias bestias voraces pascendas conferantur. Inuenti tamen sunt homines, qui his rebus ita delectãtur, vt vxoris, filiorũ, et familię obliuiscantur: qui dum illis fruantur, reliqua negligant: et voluptatem, tanquam nouam Deam confingentes, colunt. Sed vt Intemperantiæ incommoda fusius explicentur, placet quorundam exempla recensere eorum, qui in victu, vestitu, apparatu, lautitia, elegantia, summã fœlicita-

licitatem esse prædicabant; quis talia fando temperet a lachrymis? Ex Dyonisij assentatoribus Damocles, Tyranno cui nihil ad bene beateque viuendum deesse putabat, in sermone copias, lautam et splendidam suppellectilem, omniaque in ædibus ad voluptatem sumptuose, et exquisitissime comparata commemorat. Qui cum iussu Regis ea degustasset, et imminentis gladij aciem extimesceret, dixit Tyranno, se eo modo diutius beatum esse nolle. Etsi enim sit in ijs aliquid, quod intemperantis animum

num aliciat, est tamen cum oluptate coniuncta satie-s. Quare qui luxuriæ er-atis implicari et irretiri se nunt, etsi in principio tan-uam fœlicitatem eam satis mari et coli non posse pu-nt, tandem experti, aut orbis correpti, aut bellu-rum modo in luxu seneſ-entes, turpissime moriun-ur. Næ ego eum homi-em iure reprehendendum entio, qui inchoatam à se utitiam posteris relin-uere, quam à maioribus ceptam continentiam re-inere maluit. Blandum ertè hoc malum est, cui

mederi

mederi nemo poteſt, vitan
pauci volunt. Quotus e
nim quiſque reperiatur, qu
aut iuuenis delitiarũ amore
non ſemel inſaniuit, aut ſe
nex non delirauit?

Ebrietas. Altera ſpecies eſt intem
perantiæ Ebrietas: quod
quidem peccandi genus,
tanquam lues publica, in
ingraueſcit, vt propter de
linquentium in hoc multi
tudinem, virtutis nomen
induere videatur. Huius
tanta ſunt incommoda vir
bono indigniſsima, vt
ſingula enarrando recenſe
re velim, tam dies, quam
vox deficeret.

Quo

Quod enim ſcelus tam
trum, infeſtum, & inma-
? tam nefarium, & trucu-
ntum? tam denique de-
ſtabile excogitari poteſt,
quod ſuſcipiendum te-
ulenti præcipites non fe-
ntur? Ebrietati enim duci
mnia vitia famulantur.
inc amicorum propter
uſas leuiſsimas in conui-
js ſubitæ interneciones:
erditiſsimorum hominum
urni & nocturni, intem-
eſtiui conuentus: ad ſtu-
ra conficienda conquiſitæ
pportunitates: propter
bidinis immoderatam ap-
etitionem inauditæ pol-
licita-

licitationes: ad sacra deq-
que (quæ ne cogitatio-
violare fas est) polluend-
impudens, furiosa, & d-
mens audacia. Taberni-
gressi nihil cogitant, nisi q-
des & rapinas. Cumq-
prius sua profuderint, p-
stea fide deficiente, rem a-
aggrediuntur viâ. N-
cum fortunas suas abli-
rierint, solum mutant:
soluendo cum non s-
sponsoribus nuntium
mittunt. Quid dicam? O-
nia spurce, superbe, imp-
dēter dicta aut facta pro-
rūtur, in dictis impudētia,
factis se effert impudicitia.

O more-

O morem præclarum, & ſciplinam maiorum, qui uerulis ebrioſos, tanquam ectaculum miſerum & humanum monſtrare ſobant, vt ipſi immaniſſimo fœdiſſimo hoc monſtro territi, ab ebrietate tanuam à beſtia vaſtifica progerent.

Huic intemperantiæ ſpe- Veſtitus.
ei illam adiungam, quæ in mictu & corporis ornatu ernitur. Atque in hoc duplex vitium eſt: horum vum in forma; alterum in umptu eſt. Aut enim hoines nimis effœminati & nolles in veſtibus, veſtitus

E mulie-

muliebris modum & fo
mã appetunt: aut in ſumpt
tantas pecunias profu
dunt, vt exhauſtis locu
ære alieno graui laborant
clam ſe ſubducant. Neq
id quidem mirum. Ta
enim ſunt huius vitij mi
ſtri, vt quotidie aliquid n
uitatis & vanitatis adiec
ſit. Veſtes, non annis, a
temporis diuturnitate ſu
contritæ, ſed cultris ſuto
veſtiarij, aut ſciſſorum co
ſciſſæ ſunt. Verentur en
ne quo caſu eueniat, vt
veſtibus conſeruandis
nimis frugi fuerint, ma
audirent. Quare non a

calo

loris aut frigoris iniurias
opellendas aut neceſsita-
m, aut ad ornatum deco-
m ſunt compoſitę, ſed ad
gantiam affabre factæ,
n ad munditiam & fruga-
atem comparatæ, ſed ad
xum & libidinem exco-
atæ. Thoracibus & ma-
is vtuntur feneſtratis,
ſcio an ad linteorum ma-
oſtentationem, quam ad
rdis refrigerium vino vel
nere excalefacti: oppor-
nus certe hic locus eſt, vt
fœminarum in veſtitu
rietate multiplice, formæ
figuræ nouitate, ad cutis
nditationem artificioſe

excauatæ, ſumptu immo
derato, plura vel certe i
finita dicerem, ſed parcam
ſexui.

Inter cætera hæc eſt h
ius ætatis lues, religio
ſcandalum, gubernatio
macula: quod viri mu
bri pene induti veſtitu, f
mineos colunt mores:
mulieres veſte amictæ v
li, tanto ſe fœliciores v
ditant, quanto ſunt à m
ebri modeſtia remotio
Liui. Si ad hæc tempora eos
tura ſeruaſſet, qui Scipi
vitio vertebant, quod p
lio & crepidis vſus eſſet;
nunc eſſent nati; quid

censerent, qui calceos
ulis aureis magni pretij
nnectendos curant. Ho-
n pluribus certe gratu-
, quod calceos gestant
ro micantes, crumenas
auro, nec argento gra-
. Quanto melius Socra-
, qui calceis Sycioneis
n vsurum se dixit, quam- *Cic. de Orat.*
essent habiles atq; apti
pedes, quod non essent
iles. Vtinam plures es-
t Socratici. Licet eadem
alijs vestibus dicere, in
ibus habitus varietas
morum inconstantiam
odit.

Etsi Diuitis in Euangelio

auaritia criminibus plu
bus erat coniuncta & c
pulata: tamen eius in cul
& victu præter cætera c
commemorata luxuria
crarum literarum hæc
Luc. 16. 19 series. Quidam erat Diu
qui induebatur purpur
byſſo, & ſeſe oblectab
quotidie ſplendide. Vid
tis aperte cum pretioſi
tus ſumptu immoder
coniunctam mollem &
licatam vitam, in vtriſq
præter modum intem
rantiam. Veſtes pretio
ſolis aulis regijs fuiſſe p
prias teſtatur Chriſt
Nunc autem in aula,

cau

ula, ita omnes promiſ-
e omnibus vtantur, vt ſi
ſtium ſplendore perſo-
s dijudicare velimus:
iqui certe futuri ſimus ho-
inum æſtimatores. Ita non
odo nunc colorum varie-
te, ſed delicatæ materiæ
egantiâ, & raritate, com-
oſitionis nouitate pertur-
atâ & confuſa ſunt omnia,
tantum eſt in res vanas
ecuniæ impendium.

Nec minus eſt in ſermo-
e quam in factis intempe-
antię malum: corrumpunt
nim bonos mores collo-
quia praua. Nam animi vi-
oſi & corrupti nullum

maius indicium esse potest, quid
quam in verbis turpitudo quæ
qua audita, magna significatio fit non adesse continentiam. verendum igitur est, quod qui alios ad ludum & iocum illiberalem conducunt; aut aliorum facta libidinosa ad cantum & tibicinem persequi gaudent, suorum scelerum tam quam præconio testes compluriores colligunt. Nunquam enim orationis obscœnitas petulantia vacat. Vnde illa Oratoris verissima: Verborum obscœnitas si turpitudini rerum adhibeatur, ludus ne homini quidem

Offic. 1.

uidem libero dignus eſt:
uæ ſiue in re ſit, ſiue in
erbis, flagitium certe eſt.
Optime meo iudicio Maſ- *Val Ma.*
lienſes, cum nullum adi-
um in ſcenam futurum ſta-
uebant: quorum argu-
nenta maiore ex parte ſtu-
rorum continet actus. Ex-
let etiam illiberale omne,
etulans & flagitioſum io-
andi genus, in quo ſi recte
entire velimus, nec facetiæ
unt, nec ſal, nec lepos. Tur-
i enim cantu alios ad ri-
um mouere nec boni viri
ſt; nec moueri continen-
s. Eſt enim immoderatus
frequens riſus comes le-
uitatis.

uitatis. Verendum etiam eſt, ne quæ in publicis aut priuatis congreſsionibus eſt audita verborum vanitas & malitia, multas præbeat ad peccandum illecebras. Etſi enim verborum nitore, & loquentis in vultu ſimulata conſtantia tegatur, re impudentior iure reprehendenda eſt. Multorum enim aures ad audiendum allicit, quorum animis ſi radices egerit, fœcundum ſed malitioſum feret fructum: non enim vacat impudica impudentia.

Miſera mehercule eſt eorum conditio, qui omnem in-

ingenij ſui fructum in riſu commouendo conſumunt; quo leuiſsime commoto, tanquam re bene geſta gloriantur. Sed eorum miſerrima, qui appetitu, ludis & iocis, omnia metiuntur: quorum illud eſt beſtiarum: hoc hominum ratione non vtentium. Nam cum ſermo & colloquium (quo homines à feris maxime diſtinguuntur) donum ſit plane diuinum cœlitus hominibus datum, vt quæ ratione & mentis agitatione inuenta ſunt, eorum explicatio ſermone appareat: qui rem tam laudabilem & ex-

expetendam ad rerum petulantium lasciuiam & leuitatem transferunt, belluarũ potius quã hominũ naturã induunt. Est belluis à natura datus rugitus, alijs vagitus, alijs fremitus, alijs sibilus, cantus, & alarum plausus (quibus solis) suos appetitus faciunt nobis notiores. At homini ideo sermo est datus, vt ea, quæ mente & cogitatione concepit, si rem priuatam aut publicam tueri aut augere possint, sermone prolata alijs impertiat, & dijudicanda relinquat. Sermo autem ad alterius voluptatem & volun-

luntatem fictus, si re impudentior fuerit, tantum de sermonis dignitate amittet, quanto est maioris malitiæ particeps & turpitudinis plenior. Quare ea colloquij malitia, qua se prudentem esse & ingeniosum videri quisquam volet, impudicitię labe deformata & inquinata, omnino homine indigna admodum est vituperanda. Pari igitur pœna (meo iudicio) mulctandi sunt, qui aures huiusmodi sermonibus patentes præbent cum his, qui ad aliorũ voluntatem immunda & lasciua loquuntur.

Quid

Quid enim est libero homine indignius, quàm vocem ad risum & ineptias habere venalem? quare qui boni viri nomine gaudet, temperantiæ præceptis & institutis, ingenuis artibus & morum probitate vitam instructam agat. Et quoniam hominum societas inter homines ideo à Deo est constituta, vt mutuis officijs amicitiam alant: in eis deligendis cauti esse debemus, quibuscũ societatem communitatemque obire volumus. Vt enim in sole obambulantes, à sole colorantur, etsi non obambulant vt colorentur

lorentur: ita qui in hominum conſortio & communitate deligenda aberrabunt, eorũ mores in victu, veſtitu, in dictis, & factis imitantur, quibus cum viuunt: fit enim neſcio quo fato, vt citius animi hominum, improborum exemplo ad delicias, languorem, deſidiã, libidinem, & ebrietatem rapiantur: quam ad proborũ hominũ prȩcepta ducantur, quȩ ad probitatem hortantur. Nec vnquam eſt cõmittendum vt bona deliquiſſe, contraria retinuiſſe videamur.

Prudentiæ.

Prudentiæ.

Prudentiæ
- *Differentia à Sapientia.*
- *Subiectum, veritas.*
- *Commodum in priuatis & publicis.*
- *Vis maximè cernitur in temperatis corporibus benè compositis.*

APtissime libri Sapientiæ Author prudentiam medio loco collocauit inter Temperantiam & Iustitiam. Nam cum animę dotes, mores siue actiones & facultates, corporis

temperamentum ſequantur: cumque Temperantia omnes corporis partes, quales accepit, tales tuetur & conſeruat; vt animæ mandato ſubſeruiant: cumque corpus bene diſpoſitum facit, vt omnes animæ functiones melius ſe habeant: prudentiam appetenti corpus eſt optandum ſingulis animæ muneribus accommodatiſsimum. Nam cum eadem ſit ſpecie in omnibus anima, ex ſolo corporis temperamento & organorum fabrica, magna oritur ingeniorū differentia, voluntatum diſſimilitudo,

tudo, mores dispares & dissimiles sequuntur.

Temperamentum cum dicam, non cum imperitis quiddam ex qualitatibus primis actiuis vel passiuis ortum intelligo: sed eam elimentorũ commistionem quæ est ad iustitiam, quę ad singulas partes conformandas & gignendas est apta & habilis. Atq; hic est ille substantiæ modus, hæc occulta facultas: hoc meritum materiæ à quibus omnes actiones fœlicius prodeunt. Neque mirari quisquam debet, si cum vna sit specie in omnibus anima, tam contra-

rios esse in hominibus appetitus, tam diuersa studia: tam varia ingenia: tanta in alijs ad virtutem procliuitas: tanta in alijs ad vitia propensio: tanta ad res gerendas facilitas & celeritas: tanta tarditas & stupiditas. Ipsa enim anima pro organorum quibus vtitur compositione & temperamento, multiplices & varias edit actiones. Quod vt apertius & facilius eluceat: ponam vobis ante oculos vnius Animalis facultatis actiones magnas & plurimas: quas secundum, in parte qua vtitur, materiæ meri-

tum

tum & ſtructuram, profert & demonſtrat. Eadem enim facultas eiuſdem animæ eſt, cuius vi & proprietate oculus videt & colorum varietatem dijudicat: lingua guſtu rerum diſcrepantiam in ſapore diſtinguit: auris vocem ad miſerabilem ſonum inflexam, ad gaudium elatam percipit. Atque harum partium omnium actiones cum ſola animalis facultatis vi nitantur, & in actum producantur, tanto ſunt perfectiores, quanto in his conformandis minus natura aberrauit, & materię meritum, ela-

boratum magis est. Licet eadem de animæ rationalis impetu dicere: etsi enim eam cœlitus delibutam habemus, per se consilij rationisque participem, tamen nisi corpus nacta fuerit, cuius partibus recte compositis & dispositis fruatur, dignitatis suæ amittet plurimum: ea enim est animæ cum corpore reciproca sympathia: vt animam corpus sequatur in suis actionibus, anima vero corpus in suis passionibus: fit enim nonnunquam, vt opus bene à natura institutũ, tanquam optimo architecto materi-

alis

alis cauſæ defectu vel malitia mancum & imperfectum exeat. Hinc ſenſus in alijs acriores, in alijs hebetiores: aures teretes, oculi caliginoſi, guſtus deprauatus, odoratus ſubtilis, tactus integerrimus vel obtuſus. Quare ſi natura corporis effectrix, quod propoſuit non aſſequatur, & corpore compingendo materiã arripuit incoctam minime præparatam: neceſſum eſt eas animæ dotes futuras imperfectas & debiles, ſi partes his muneribus & officijs deſtinatæ & deſponſatæ fuerint imbecilles: &

forma, vel materia, defece-
rint. Placuit certe Galeno
medico primario Natu-
ram omnibus aptum mo-
bus animæ & facultatibu
corpus dediſſe: fit tame
nonnunquam, vt anima i
partibus corporis natur
erroris particeps in ſui
actionibus deficiat. Hæc
ideo à me dicuntur, vt om-
nes intelligant quam caute
& diligenter, quam pruden-
ter, & ſobrie, corpus alere
& conſeruare debemus (in
quo prudentiæ vis maxime
valet) niſi animæ dotes di-
uinas & admirabiles in cor-
pore male gubernato ob-

ſcurari

ſcurari & tanquam in cœno demergi velimus. Sed veniamus ad prudentiã, quam viuendi artem Cicero ſtatuit, quam ſi ſequamur in victu, non aberrabimus; multi enim imprudentes corpus bene inſtitutum rationis obliti, omnibus actionibus animæ & corporis ineptum faciunt: iniurioſa hæc eſt, & facinoroſa in Deum & hominem vitæ ratio.

Nunc vt prudentiam accuratius pertractemus indagandum ſentio, num quam nos prudentiã, eandem, ſapientiam appellemus.

mus. Eoq; diligentius quod vtroque verbo vſus eſt Apoſtolus Paulus è Sapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum è medio tollam: σοφίαν τῶν σοφῶν ἀθετήσω καὶ σύνεσιν τῶν συνετῶν. Apoſtolum qui cum materię grauitate verborum copia & eloquentia diuina cumulatiſsime floruit, tautologiæ reum eſſe, nefas eſt dicere: quod profecto faciunt, qui harum vocum differentiam è medio tollunt. Sed præclare vir inprimis doctus Theod. Beza ita has voces diſtinguit, vt quam nos σοφίαν, in rerum contemplatione: aliam

1. Cor. 1. 19

Differentia ſapientiæ & prudentiæ.

iam in actione versari ve-
it. Vere igitur Apostо-
um à tautologię suspitione
& offensione vindicauit.
autem vocabulum ita
ate patet, vt apud veteres
omnis generis periti artifi-
ces dicerentur. Atque
hoc loco eam sapientiam
Apostolus reprehendit, qua
Sophistæ cum ab agendo
desisterent, in dicendo ela-
borantes, oratoria facundia
in rebus forensibus vteren-
tur. Sed in his vocibus di-
stinguendis minime à pro-
posito aberrabimus, si Ci-
ceronem audiamus. Prin-
ceps omnium virtutum est
illa

illa ſapientia, quã [illegible] Græci dicunt: Prudentiam enim quam [illegible] vocant, aliam quandam intelligimus, quæ eſt rerum expetendarum fugiendarumque ſcientia. Quare cum ſapientia in rerum contemplatione cernitur: rerum cauſas abditas & occultas inueſtigat, abſtruſa & recondita inquirat, in latentibus & obſcuris è tenebris eruendis tantum laboret: nihil ad hominũ ſocietatem tuendam conducat: huic illa eſt anteponenda, quæ officia iuſtitiæ tractat, ea parat & meditatur quæ conferunt

d hominum vtilitatem. Eſt utem hæc virtus prudenia: ea enim lege nati ſumus, t homines hominibus proeſſe poſsimus. Quare vt apientia tantum eſt rerum Diuinarum & humanarum cientia illis tantum profuura quibus cordi eſt: ſic rudentia eſt rerum bonarum & malarum, expetenlarum fugiendarumque, & nec bonarum nec malarum rerũ ſcientia omnibus profutura. Nunc cum de eis irtutibus dicendum ſit, quarum fructus ad plurimos ſit peruenturus, de ſapientia plura dicere ſupерſedebo:

sedebo: atque ad prudentię
pręcepta & commoda me
conuertam.

Quis est nescius in om-
nibus rebus opportunita-
tem temporis valere plurimum, siue in pace viuatur, siue bella geramus, siue in domesticis, siue publicis agas quid? tempus enim occasionis opportunum diligenter semper est obseruandum, quo aut negligenter omisso, aut dissolute neglecto, periculum certe est ne in deterius res omnes abeant. Huic malo vt mederi & occurrere possimus docet prudentia. Est enim

scientia

ſcientia opportunitatis ad agendum temporum. Huius primum munus eſt inuentio veri, qua nihil laudabilius, nihil cum virtute coniunctius. Eſt enim veritas prudentiæ ſubiecta, tanquam materia quam tractet. Eſt autem veritas duplex. Vna in rebus diuinis: altera in humanis. Cauendum autem eſt in rebus Diuinis iudicandis, ne hominis ſolius rationem ſequamur: neque id ſpernamus, cuius rationem hominis ingenium inuenire non poteſt; periculoſum etiam eſt in his nimis altum ſapere.

Primum munus prudentiæ.

Veritas duplex, ſubiectum prudentiæ.

Quare

Quare qui verum in Theologicis scire expetit, sacras literas legat cum diligentia: Interpretes audiat cum reuerentia, oret cum abstinentia, credat sine diffidentia. Non enim ex traduce hausta est ista cognitio, sola gratia tradita, precibus exoranda, cœlitus demissa. In ijs quæ ad hominem spectant tum ad verum ipsum magna parte, aut quam proxime accedemus, cum quę faciēda aut non facienda sunt, ratione inuenimus. Cumque veritatem elicere studeamus minime est committendum vt contentionis

cupi-

cupidiores, quam veritatis videamur. Impedit Ira animum ne possit cernere verum. Nam qui ad veritatem indagandam iratus accedit: aut iudicium factum domi licet ratione vacet, tanquam verum tueri & defendere contendet, oblitus veritatis inuentionem, prudentiæ esse munus proprium, non Iracundiæ, quæ est inimica consilio: is si toto cœlo à veritate aberrabit, mirũ nemini videri debet. Vt enim oculi hominum caligine conturbati sæpissime mentiuntur: ita mentis acies cui perturba-

tionum offusa est caligo hebetior est ad vera diligēda, reijcienda contraria. Quare cum ars in hac re certior est quam natura, rationes dat & præcepta faciendi aliquid, & quasdē in faciendo non errare patientes, vias: quare artiū studio est incūbendum: tum in primis Philosophiæ & dialecticæ, quarum altera te scientia augere potest altera iudicio.

Altera res est in qua prudentia versatur: nempe cum decorum ita gubernet, vt in eo moderatio & temperatio appareat. Atque in hoc multi vehementer errant.

rant. Aut enim in obſeruantia ab alijs expectanda & exigenda nimium ſunt elati vnde ſuperbi vocantur: aut nimis ſunt ſubmiſſi (quod eſt hominum perpaucorum) vnde demiſsi & minus generoſi iudicantur. Quæ ætas de Cn. Pompei ſuperbia, faſtidio arrogantiaque inaudita inſolenti & immani cõticeſcet qui amicum Hypſeum contumelioſiſsime exceptum ante pedes proſtratũ pedibus conculcauit? O factum arrogans & immane! Satis ſuperba fuit illa Xerxis ad Aſiæ Principes oratio.

Plut. in vita.

Prudentia docet bonos mores.

Vt non meo inquit ſolo conſilio Bellum ſuſcepiſſe videar vos conuocaui: ſed mementote, parendum magis vobis eſſe quam ſuadendum. Odioſus certe & contumax ſermo fuit. Sed ea eſt elati animi contumacia vt niſi prudentia emendetur præter modum ſe efferet. Neque in viris priuatis prudentiæ inopia & defectus plurimum nocent ſed magiſtratibus perſonã publicam gerentibus magno ſunt incommodo & detrimento. Magiſtratus qui clauum reipublicæ tenet & gubernacula tractat, ſi prudentia

dentia careat: quo modo futuris periculis potest consulere aut præsentibus succurrere? Vere igitur Eccles.10.17. Væ tibi terræ cuius rex puer est. Nemo tam excors est vt puerum hoc loco annorum numero metiendum putet, non ingenij imbecilitate, consilij inopia, & experientiæ defectu.

Duplex est ab oratore statutus prudens: vnus cui quid opus ipsi veniat in mentem. Alter qui prudenter consulentibus libenter auscultabit.

Præclare itaq; vt omnia

Vt non meo inquit ſolo conſilio Bellum ſuſcepiſſe videar vos conuocaui: ſed mementote, parendum magis vobis eſſe quam ſuadendum. Odioſus certe & contumax ſermo fuit. Sed ea eſt elati animi contumacia vt niſi prudentia emendetur præter modum ſe efferet. Neque in viris priuatis prudentiæ inopia & defectus plurimum nocent ſed magiſtratibus perſonã publicam gerentibus magno ſunt incommodo & detrimento. Magiſtratus qui clauum reipublicæ tenet & gubernacula tractat, ſi prudentia

dentia careat: quo modo futuris periculis poteſt conſulere aut præſentibus ſuccurrere? Vere igitur Eccleſ.10.17. Væ tibi terræ cuius rex puer eſt. Nemo tam excors eſt vt puerum hoc loco annorum numero metiendum putet, non ingenij imbecilitate, conſilij inopia, & experientiæ defectu.

Duplex eſt ab oratore ſtatutus prudens: vnus cui quid opus ipſi veniat in mentem. Alter qui prudenter conſulentibus libenter auſcultabit.

Præclare itaq; vt omnia

Rex noſter illuſtriſsimus Iacobus, Regum ſplendor, prudentiæ lumen, doctrinæ gloria: in ea epiſtola quam libello de inauguratione Regum pręponi voluit pleno religionis, optimi conſilij & experientię Carolum filium Regni huius hæredem: qui totius mūdi ſpem & expectationem ſuſtinet, hortatur: vt ineuntis ætatis commendationem à Diuino cultu, optimarum artiū ſtudio & earum præcipuę quæ gubernationis præcepta continent & animum ad bene imperandum inſtruunt, ſtudioſe hauriat.

Ini-

Iniquum enim putabat, vt qui clauum tenet, à nauta imminentis procellę vitandæ rationem peteret. Fruere igitur ſummæ ſpei nobiliſsime Princeps iſto tuo tanto bono, qui talem habes Patrem, cuius in deligenda vitæ via, præceptis ſi obtemperes, neque in rebus diuinis neque politicis aberrabis: & tamdiu fruere quoad te ſuo exemplo & inſtitutis in virtute quotidie progreſſus feciſſe non pœnitebit. Neq; profecto dubites (etſi tibi grauis aduerſarius eſt conſtitutus incredibilis expectatio) quin

si illi pareas, omni expectatione citissime superior discedes. Neque molestè feras si paucis ea recensean quę summam de te expectationem omnibus faciunt. Audi quæso nostrum omnium artium & ingenij magistrũ Galenum. Hæc sunt inquit quæ homini adesse oportet, vt quodcunque inuestigans aut veritatem cognoscet, aut non ab inuentione desperet si adhuc ignoret. Ea vero sunt huiusmodi. Natura perspicax à pueritia institutio: optimi præceptores: laboris tolerantia: veritatis a-

De Constit. Ar. Med.

mor:

mor : methodus in dicendo : in exercendo diligentia.

Nunc quis non videt hęc quæ ſunt maxima, & ab alijs optanda potius quam ſperãda ita à Deo & Patre tuo plene cumulateq; eſſe ſuppeditata vt quod velis citiſſime aſſequaris ? Abſit igitur vt tibi ipſe deeſſe velis. Speramus ſane quam tuo tempore à Patre accipies Imperij dignitatem, eandem per te auctam & amplificatam futuram. Habes profecto tale ingenium vt quæ alijs difficilia videntur facilime vincas. Nam quid

eſt

est in quo educatio, & optimi præceptores prodesse cui quam possit in tanto delectu optimorum virorũ cuius tu particeps non es? Corpus tuum affabre à natura factum ad omnes Animę functiones obeundas, omnes agnoscunt: ad laboris tolerantiam optime compositum intuentur: mentem optimi consilij capacissimam admirantur: tum in veritatis indagandæ studio & diligentia quantus es totus es.

Prudentiæ partes.

IV Sed redeundum est ad prudentiam. Huius partes tres sunt. Intelligentia per

quam

quam ea percipit quę nunc sunt: memoria per quam animus repetit ea quę fuerunt: prouidentia per quam futuri aliquid videtur, antequam factum sit. Nunc videndum est quantum ad harum partium curationem & præsidium Temperantia, Prudentię coniuncta prodest. Quantum organorum per quæ omnia agit compositio, si conseruetur iuuatę quantum partium temperamentum & concinnitas opportunitatis habet & adiumenti, vt prudentiæ vis spectetur: quam cito deficient quæ sunt in homine

maxima, nisi rationis imperio subiecta prudentiæ pareant? Partes autem quibus prudentiâ plurimum vtitur, sunt duę memoria & intelligentia: harum sedes est cerebrum. Hoc si naturę vel victus culpa aberrauerit, vel casu aliquo fuerit lęsum, nunquam prȩteritorum recordabitur, nec cum prȩteritis prȩsentia conferet, in quo maxima vis est prudentię. Tritum est illud medicorum: Eisdem omnes nutriuntur ex eisdem quo omnes sumus, tamen propter variam primorum corporum commi-

stio-

ſtionem : differentes ſunt appetitus, & temperamenta prodeunt diſparia. Ex quo fit vt quod vni proſit, alteri noceat. Vt Cicuta Sturno nutrimentum, cuius tanta eſt frigiditas vt propter deleteriam facultatem inter venena numeretur. Licet eadem de ventro dicere coturnici eſt alimentum: cuius tamen calor exitialis non immerito inter calida venena ponatur: (licet vt volunt medici) reuera venenum non ſit niſi quantitate modum ſuperet.

Prudentis igitur eſt ea dili- Offic. 1.

diligentiſsime obſeruare, quibus valetudinem tueri poſsimus: quibus animus fiat ad agendum alacrior: & corpus bene conſtitutum ita nutriatur vt conſilio obedire poſsit in negotijs exequendis & laboribus tolerandis. Elaborandũ certe eſt, cum bona valitudo ſi minuatur, ita animæ præclaras actiones impediat, vt non diminutæ ſed deletę videantur: vt ad eam conſeruandam cum prudentia conſilium capiamus, quæ mediocritatem in omnibus rebus ſeruandam ſuadet & hortatur: qua nihil eſt naturæ

turæ gratius nihil ad ſanitatem conducibilius.

Quantum in forenſibus negotijs ſiue iudicijs publicis vires prudentia habet ad verum eliciendum, ſi ante fuiſſet ignotum, Salomonis prudentia ſatis eſt cognitum: qui niſi matris in filium indulgentiam animo reuoluiſſet & obſeruaſſet in lite fœminarum pro viuo puerulo concertantiũ componenda, diutius hæſitaſſet aut aberraſſet. His autem quæ amoris materni in liberos fidem faciunt in mentem reuocatis & ad conſilium adhibitis æquiſſimus

Prudentia in rebus publicis.

simus & prudentissimus Iudex veræ & indulgentissimæ matri viuum puerulum tradi mandat cum summa admiratione assistentium & audientium. Quid enim est tam occultatum, tam dissimulatum tam ab oculis remotum cuius veritas in profundo demersa, opportunitate temporis, obseruatis rebus circumstantibus & consequentibus in lucem produci non potest, si rem prudens tractet? At imprudentes in quibus est nullum ingenij acumen vel apertissima nullo pacto perspicere possunt. Nam cum occasio

ea

ea pars temporis sit, quæ habet in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem: est prudentis, occasione oblata, deliberare an idonea sit ad rem adoriendam, an alia melior fuit præterita: aut noua expectanda accommodatior: opportunitatem autem nacti ad agendum aliquid eam tenere non negligere. In rebus priuatis qui prius consilium minime capit, quam negotium aggreditur, aut propter nimiam susceptam celeritatem, aut tarditatem maiorem quod voluerunt,

non adipiſcuntur.

Prudentia in rebus bellicis.

In rebus bellicis, qui terrarum ſitus, locorum naturam negligunt, aëris clementiam & inclementiam pro nihilo putant: ſolis aſpectum militibus moleſtum non reſpiciunt, nec tempeſtatibus proſpiciunt, ſed intempeſtiue manum cum hoſtibus conſerunt, omiſſo conſilio, prudentiæ obliti, ſpiritu magis ſunt quam ratione aut conſilio fortes: & temeritatis ſæpiſſime iuſtiſsimas pœnas perſoluunt. Quis Quinti Fabij Maximi tarditatem ſiue cunctationem qua Annibalem

Cic. Se.

lem iuueniliter exultantem molliebat, Annibalis confidentiæ & temeritati non anteponendam iudicabit? Tarentum ab illo, vigilantia & consilio magis quam vi captam legimus. Parua sunt foras arma nisi est consilium domi. Quis consilij 2. Sam. 17.
Achitophel excogitatã rationem non admiratur, qui opportunum temporis beneficium nactus, Dauidis exercitum defatigatũ, lassitudine eneruatum, subito dissipatum citissime superasset, nisi fauente Deo Chusei interuentus consilium perturbando peruertisset?

Prudentia in priuatis rebus.

Sed ad rem priuatam dilabatur oratio. Res domesticę si prudentiam rerumque cognitionē non sequantur, libidini potius & luxuriæ, quam liberalitati aut beneficentiæ patebunt: quibus cum comes sit auaritia, ne quid desit aliena rapiunt, ita in omni officio deferendo sunt audaces. Cumque rem priuatam negligant: in conclaue res ad immoderate epulandum sunt exquisitissimæ: in aula crebræ intemperantissimæ perpotationes: in culina deliciarū quotidianus apparatus ad libidinem. Et quoniam bene

bene acta vita, omnes corporis partes facit, quæ ſunt animi miniſtri aptiores, vt in agendo quæ petimus conſequamur, qui conuiuando mediocritatem deſerunt (quæ eſt naturæ gratiſsima) totam corporis ſtructuram labefactant: Ita vt nec oculus probe ſit affectus ad ſuum officium fungendum, nec auris nec lingua: Quare nec diu ſunt in vita ſuperſtites, nec vnquam prudentes. Æquum igitur eſt vt in ciborum delectu (in quibus magna vis eſt ad bonos mores conformandos, morbos propul-

ſandos, & ſanitatem tuendam) cautio habeatur ne à prudentiæ præceptis aberremus.

Plurimos certe nouimus qui ingenio acri & peracuto ineunte ætate vberrimos bonarum literarum fructus pollicebantur: ſumpta tamen toga virili, potandi & Tobacchandi maleficijs & cantionibus tanquam hauſto veneno ita hebetes, tardi, & rudes facti ſunt, vt communi vita, & vulgari hominum ſocietate indigni haberentur. Quod quidem peccandi genus in ijs eſt vſitatiſsimum & frequentiſ-

ſimum,

simum, qui mentem à sensibus, peccandi illecebris: aut cogitationem à deprauata consuetudine abducere non possunt. Prudentis igitur est in omnibus rebus rationi morem gerere, factis consilium adhibere, & in omni re moderationem & constantiam retinere: ita nec in deligendo aberrabimus, nec in fruendo prudentiæ præcepta violabimus. Quare cum de moribus & virtutibus aliquid scribere instituissem, ab ijs ordiri maxime volui, quæ quodāmodo omnes continent: & præcipue à Tem-

perantia, ſine qua nec prudens, nec iuſtus, nec fortis aliquis reperiatur. Nam qui voluptati ita indulgent vt ad eam omni animi & corporis impetu ferantur: aut in rebus dijudicandis ab equitatis inſtitutis diſcedent: aut delicati nimium & molles, imbecilitatis ſimulatione, labores reipublicæ cauſa ſuſcipiendos ſubterfugere conabuntur, nec prudentes, nec iuſti, nec fortes habendi ſunt. Temperantes autem ijdem & prudentes, nec in appetendo ſunt inconſulti, nec in iudicando temerarij, nec in auden-

audendo dissoluti. Prudentia quę in rebus priuatis dirigendis sita est, Domestica; & quæres publicas tractat, ciuilis est appellanda.

Vtraq; ad bona deligenda & reijcienda contraria nos instruit, sine qua nemo bonus paterfamilias, nemo bonus ciuis esse potest. Quid est in quo homines à bestijs magis differunt, quam in rerum delectu, in quo hæ appetitum? homines rationem sequuntur?

Elaborandũ etiam omnibus est, vt non modo in factis Prudentia in dictis.

factis sed & dictis prudentia appareat. Etsi enim considerata omnis actio fidem facit cognitionem & prudentiam rebus non defuisse tamen oratio prudens & tempestiua adhibet lumen rebus: & multitudinis animis accommodata ad persuadendum facile in eorum animis contra malos mores insidet: hortatur ad decus, reuocat à flagitio: & grauitatem cum humanitate consecuta, humanam societatem maxime conciliat multitudinis animos ad beneuolentiam allicit: motus populi conuertit, eorum animos

animos excolendo [*Illa Virg. regit dictis, animos & pectora mulcet*] cum admiratione copioſe ſapienterque dicentis.

Legimus duobus Conſulibus Romanis decertantibus, vter rebus bellicis in Hiſpania eſſet præficiendus: Senatum ancipite contentione fuiſſe diſtractum. Quam diſſentionem cum aliqua acerbitate coniunctam Scipio Æmilianus veritus ne in maledicta & conuitia poſſit abire: ſubito ſurgens, Neutrum, inquit, mihi mitti placet, quia alter nihil habet: alteri nihil eſt

est satis. Quo dicto vt neuter in Hispaniam mitteretur, obtinuit. Breuis certe hic sermo fuit, sed tempestiuus & sapiente dignus: vidit enim vir prudens malum imperij magistratum futuram paupertatem: sed multo deteriorem Auaritiam. Pu. Rutilio, cum amici cuiusdam iniustæ rogationi resisteret, respondit alter, Quid mihi amicitia tua, si quod rogo non facies? Cui iterum Rutilius, Quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sim? Acuta mehercule & bono viro digna responsio. Honestas enim

enim omni pondere grauior habenda res est quam amicitia. Magna igitur est orationis vis, in qua non modo ingenij sed iudicij radij collucent: quę flexanima facile in animos hominum influit.

Perspicuum igitur est, hanc quam tractamus prudentiam, non modo ad viuendum, sed ad bene viuendum valere plurimum: non nobis solum profituram, sed omnibus quibus cum viuimus. In rebus priuatis & publicis, bonos hortando in officio continet, improbos à scelere reuocat, rem

rem familiarem recte gubernando auget, publicam leges ſtabiliendo conſeruat. Hanc qui aſſequi cupiunt (omnes autem velle debebant) caueant ne oculis, linguæ, auribus, voluptatum miniſtris auſcultent, nec his quę alliciunt ad libidinem, ſeruiant: nec animi ſplendorem, quem à natura accepimus, vitiorum ſordibus obſcurari aut inquinari ſinant. Optimorum exempla ante oculos ponant, quorum facta imitentur: prudenter ab alijs dicta recordentur: conſortes deligant in factis probos, in dictis

dictis ingenioſos. Nam quid eſt laude aut bono viro dignum, quod cuiquam ſine labore, prudentia, & virtute poteſt contingere? Certe nullus animi habitus, virtuti aut naturę conueniat, niſi ſit rationi conſentaneus. Quæ autem ratione ſunt inuenta, eadem niſi conſilio & prudentia gubernentur, parum homini ſunt profutura. Nunquam igitur prudentia intempeſtiua eſt, nunquam à factis excludi debet: & in oratione quanto ſe magis efferet: tanto ſermo futurus eſt gratior & optabilior.

Virtus

Defin.4. Virtus, cum sit rationis absolutio & perfectio & in
De Orat.1 earum rerum moderatione cernitur, quę corporis aut fortunæ sunt: tamen omnis moderationis mensuram & modum à prudentia mutuatur: cuius sola vis in moderatione continentię & temperantiæ potissimum cernitur, & sine qua nulla virtus esse potest. Per hanc edocti ab alijs benefacta laudamus & admiramur, malefacta nec re nec verbo probamus.

Nunc quoniam in hanc virtutis laudem (quę vni & soli virtuti est tribuenda)

enda) delapſa eſt oratio, cuius dignitati & excellentiæ nulla ſatis magna aut par commendatio excogitari poteſt. à prudentia ad virtutem conuertatur oratio; à laude inani & ſermone vulgi remotam. Hæc eſt illa nauis, quæ ſcientiſſime gubernata, fœlicem ſemper conficit curſum, nullis tempeſtatũ fluctibus demergi poteſt: ventorum turbine & impetu agitata & concuſſa, locum non mutat: cuius ſplendor nullis tenebris obſcurari poteſt: ſed quem nacta eſt fulgorem, ſemper retinet, nunquam alienis

 ſor-

sordibus obsoleſcit. Hæc tanta tam magna virtutis ornamenta soli prudentiæ accepta referamus: sine qua nulla virtus est, nulla vita bono viro digna: nihil optabile. Vt enim valetudinis medicina, ita viuendi ars est prudentia. Quare cum bene sentiendi prudentiæ laus sit, vt facere fortitudinis: cumque exercitatio intelligendi prudentiam augeat: turpe certe est & valde vitiosum, otio aut alia re ab his rebus agendis abduci, in quibus eius vis continetur. Cognitionem enim & prudentiam semper consideratio

actio

actio sequitur, quę non modo rei præsentis commendationem parit bene gestæ, sed ipsius Authoris recordationem facit, ad diuturnitatem memorię fixam & stabilem. Memoria enim rerum tanto præstantior memoria verborum, quanto plus in negotijs gerendis res quam verba prosunt. Hinc ex rerum & temporum annalibus fortissimorum hominum, propter res optime gestas, & literis mandatas, memoria erui potest. Hinc prudentissimorum Regum conquisita exempla, in veterum com-


mentarijs celebrata, excitari possunt. Hinc pietatis, iustitiæ & virtutum omnium clarissima monumenta, quæ non magis ad præsentis temporis gratiam spectabant, quam ad memoriam posteritatis, tam præclara, tam copiosa, ex literarum monumentis dedicationes celebrantur: minimeque vereor, quin IACOBI Regis nostri celeberrimi in religionis pietate colenda, diligentia in pace conseruanda, & deprecanda indulgentia: in republica tuenda vigilantia: in virtute efferenda alacritas: in doctri-

næ præmijs amplificandis cura & prōcliuitas: memorabile & diuinum futūrum sit exemplum in omne tempus sempiternū, quo alij ad benefaciendum excitentur. Etsi prudentia per se multorū animos ad sui amorē allicit, propter ea quibus abundat ornamenta: tamen nullū illustrius, quam quod est Iustitiæ firmamentum, legum subsidium, ad vsum forensem necessarium. Sublata enim Iustitia quæ societatem coniunctionis humanæ mirifice & æque tuetur: Fides tollitur, dictorū conuentorumque constantia &

veritas auferentur, ad quas conseruandas, prudentia plurimum elaborat. Quare cum de prudentia & de his in quibus versatur satis est dictum: ad Iustitiam quæ proximum in diuidendo locum occupat, me conuertam.

Iustitia.

Iustitiæ.



DE Temperantia, quæ est rationis in libidinem, atque in alios non rectos motus & impetus

animi, firma & moderata dominatio: quibus superatis & deuictis ad veritatis inuentionem & indagationem veri facilior fit aditus: & obtemperatio legibus & præceptis iustitiæ paratior: primo loco diximus. Huic illam virtutem adiunximus, quæ bene viuendi ars est, & sine qua ne intelligi quidem vlla virtus potest: quam nos prudentiam appellamus. Huius tanta est excellentia & dignitas, vt omnis virtus huic adiuncta, suo splendore eluceat magis. Nam qui prudentiæ obtemperant, & obediunt rationi,

siue ea meditantur quæ sibi commodo sunt futura, siue aliorum negotia tractant, siue res agunt belli, siue forenses: in consilio dando non aberrabunt, & in iudicando erroris suspitionem vitabunt.

Quare cum Iustitia quam tertio loco pertractandam proposui, vt suum cuiq; tribuatur laborem quod est æquabile; (æquabile autem nihil potest esse, quod non certa ratione proficiscitur) sine prudentia, quid in vnaquaque re verum aut iustum est cernere nemo potest. Tolli igitur è vita & societate

tate hominum prudentia non potest, quin omnia officia & præcepta iustitiæ eodem labefactata motu concident, & quoniam homines maxime ducuntur, vt eos Iustitiæ capiat obliuio, cum in voluptatum, libidinum, luxuriæ, & diuitiarum cupiditatem inciderint: quæ spectant ad iustitiam fusius explicabimus.

Iustitia triplex.

Iustitia est triplex: Prima in Deum, quæ dicitur Religio: Altera in Regem, quæ est cum pietate coniuncta obseruantia: Tertia in omnes, quæ est charitas. Tum Deo iusta persolui-

mus,

mus, cum eum solum omnipotentem agnoscamus Deum: bonarum rerum omnium authorem fateamur: cum eum debita reuerentia veneremur: & cum eius mandatis obsequamur.

Reges iure optimo ea vendicent, quæ lege diuina aut humana: iure hereditario aut consuetudine confirmata sunt: quæque ad loci maiestatem, & personę dignitatem sunt necessaria.

Tertia Iustitię species est ea quæ pertinet ad omnes, vt mutuis officijs societatem hominum tueamur quę est charitas: hanc qui negligunt

gunt præter modum iniusti sunt: auferunt enim communitatem generis humani. Nam quæ potest esse societatis coniunctio si nihil in eam conferamus studij, nihil operæ, nihil facultatum, omnia nostra vtilitate metientes obliti aliorum. Viri autem boni in homines alieniſſimos, communis humanitatis causa ea conferunt, quibus aut vitam tueri, aut pericula propellere possint. Verumenimuero vt hanc Iustitiæ diuisionem Philosophicã quadrare cum Theologica intelligatis, ponite vobis ante

oculos

oculos illa Apostoli Petri: Deum timete. Regem honorate. Charitatem diligite. Quis non videt tripartitam hanc Iustitiæ diuisionem cum Apostoli partitione conuenire? 1. Pet. 2. 17

Audite igitur Apostolum: Deum timere. Timere autem Deum quid aliud est, quam omnibus rebus agendis in suis præceptis acquiescere, à malis abstinere, non tam pœnam extimescentes (quod est seruorum) quam placendi desiderio Dei fauorem consequi cupientes? Nam quæ gens vnquam tam barbara Iustitia erga Deum.

fuit,

fuit, tam ab omni religione aliena, quæ Deum quem confinxerunt, ſummis honoribus non afficiunt, eiſdemque voluntarijs? Nam quos metus ſupplicij à ſcelere reuocat, aut in officio continet, non in ſcelus odium: hi minime religioſi dicendi ſunt Dei cultores: nam hos pœnæ timor in officio cohibet à malo, non virtutis amor. Peccatorum in quibus Dei maieſtas læſa eſt, nullum grauius reperiatur qnam Idololatria. Huius infeſti ſceleris certe conſcij ſunt & participes, qui ſpe aut emolumenti cauſa, à ma-

Idololatria.

magis, maleficis, & veneficis auxilium petunt. Ad quos, tanquam ad numen confugiunt rerum deperditarum notitiam sperantes, & morborum remedia implorantes. Cuius tam detestabilis & exitiosi peccandi generis, tam multi & magni patroni & defensores extiterunt: & rerum ab his gestarum fama ita percrebescit in ore & sermone omnium: vt auxilia à veneficis petita, omnibus alijs curandi & medendi modis non obscuritatem, sed densissimas tenebras offudisse videantur. Nonne cum com- Magi venefici.

commoda quibus quotidie vtimur: lucem quam fruimur: spiritum quem ducimus à Deo nobis dati & impartiri videamus: turpe aut nefas censeamus adesse & approbare, cum quid de illo detrahatur? Absit igitur vt illis aliqua impunitatis spes proponatur, qui honorem soli summo Deo consacratum & deuotum; in aliam rem conferunt, quam tanquam diuinam suspiciunt & admirantur. Huius etiam generis profanorum hominum, sunt libidinosi, luxuriosi & auari. Nam his vitijs quæ tanquam verum

Deum

Deum exoſculantur ita ſe irritiri & reſtringi patiuntur vt eorum vinculis ſoluti eſſe nullo pacto poſſint. Quare integerrimam Dei ſanctimoniam, qui immaniſsima & ſceleratiſsima horum vitiorum turpitudine polluere non verentur: vt ſunt ſic in Deum iniuſtiſsimi cenſendi ſunt. In horum hominum impiorũ perditorum & impuriſsimum gregem etiam reijciendi ſunt, qui religione iuriſiurandi, ac metu Dei immortalis in teſtimonio dicendo, aut in alijs rebus leuiſsimis abuntur: aut in

pactis perfidia vtuntur vt alijs insidiæ tendantur. Non minoris facinoris rei sunt, qui periurijs, verborum & animi turpificati fœditate, summi Dei gloriam conuellunt. Quod vitium, quasi res præclara & laudabilis, totum pene orbem peruagatur: O tempora! O mores! Quis sine molestia & mœrore de eorũ in Deũ iniustitia potest cogitare, qui Deum iniquissimum rerum æstimatorem prædicant, si omnium optionibus & petitionibus non satisfecerit? O dementissimam hominum amentiam, qui summi

Dei

Dei potestatis obliti, eius authoritatem aspernantur, iustitiã accusant, & de prudentia detrahunt. O detrectatores maledicos ne luce quidem dignos, qui diuinam prudentiam, & potentiam, ad humanæ imbecilitatis exiguitatem comparandam reuocant.

O inauditam Iobi patientiam, qui pecoribus spoliatus, orbatus liberis, nuntio tam tristia & horribilia repetenti, summisse & placate respondebat: Dominus dedit, Dominus abstulit. Hoc si improbis omnia sua voluntate metientibus accidisset, Iob 1. 20.

dissent, quid putamus facturos? maledicta mehercule contumeliarum plenissima in Deum conferre voluerunt. Iniquum est hoc genus totum hominum, totum ex malitiæ & turpitudinis sordibus confectum.

Alia insignis in Deum iniuria est illorum, qua illum grauissime afficiunt auari: Hi criminibus infinitis implicati, omne officiū quamlibet sanctum & solenne, comminuunt aut omnino deserunt, vt rebus quas appetunt potiantur. Quorum mentes prauitatis & lucri erroribus imbutæ, ea sola

sola curant, quæ sibi videntur vtilia, & ad ea se parant acquirenda, à quibus futuri commodi. est expectatio. Nihil minus meditantur, quam quorsum illis à Deo data sunt, & ad quem finem: oblici se eorum rationem Deo daturos, cum ad calculos quasi mali serui vocabuntur. Hi sunt in Deum iniusti, naturæ inimici, charitatis hostes. Nam in illis officijs præstandis deficiunt, quæ Deus imperat, natura iubet, & charitas suadet.

Miror etiam quomodo ingrati animi horribile cri-

men (in quo est iniustitia) possunt vitare, qui pro collatis à Deo beneficijs, officiorum remunerationem, aut gratiarum actionem memoria non tenent: sed omni grati animi significatione deleta, tanquam in diuitijs consopiti somno, in medijs turpissimæ vitæ laboribus securi obdormiscunt. Omnes autem boni ab ipsa natura hauserunt ipsis plurimum velle debere, à quibus plurimum acceperunt. Hos ego grauioribus & pluribus verbis prosequerar, nisi me illud vetus & verissimum moneret: Omnia

nia dixisse, qui ingratum dixerit. Odiosum certe nomen & Christiano indignum. Ex quo est videre, leprosos ingratos & immemores beneficij, hoc vitium in quo nihil mali non inest, posteris reliquisse: cuius iam sceleris pestis & pernities ita late serpit & propagatur, vt non ex decem vnus: sed ex pluribus nullus sit, qui benemœrenti gratiam referet: ita pauci sunt Samaritani, qui beneficij accepti memoriam retinebunt, aut grata animi significatione agnoscent, aut libenter præ se ferent. Inge- Luc. 17. 15

nui autem est fateri per quem profeceris. Nihil enim tam est immane & ferum, quam accepti beneficij obliuione committere vt eo indignus videaris: & ingrati animi crimen omnes oderunt.

In hoc officio negligendo qui peccant, non solum in Deum, & alios sunt iniusti, qui beneficia contulerunt, sed sibijpsis nocent: 1. Offic. nam à quo expeditior & celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est omnium voluntas propensior: at ingratus vnus miseris omnibus nocet.

Nunc

Nunc cum ea hominibus beneficia largitus ſit Deus tot numero vt enarrari non poſsint: tam magna vt remunerandi nec modus nec poteſtas ſit: non eſt tamen à remunerandi officio deſiſtendum, nec committendum, vt deficiente referendi poteſtate, voluntatis ſtudium & deſiderium obſcuretur. Quam multæ ſunt in Pſalmis Dei celebratæ laudes cum ſancta & ſolenni gratiarũ actione? quam vſitata beneficiorum commemoratio & recordatio? ad gratias habendas quam crebra & vehemens hortatio?

tio? Quare qui eorum quæ collata sunt, aut eorum qui contulerunt, immemor est; hunc hominem despicatissimum, impietatis, iniustitiæ, inhumanitatis, turpitudine, cœno, sordibus, obsoletum, oblitum, contaminatum, ab oculis hominum remoueamus, nec luce fruatur.

Iustitiæ erga Regem.

Altera iustitiæ pars est quę spectat ad regem. Cum Iustitię proprium munus sit suum cuique tribuere pro dignitate cuiusque, Regi locus Deo proximus est cõcedendus, quem suo iure vendicet. Huic tum suum

Ius

Ius prȩstamus, cum debitum honorem deferamus, non humana lege, sed & sacris literis definitum. Ipsi igitur Apostolo primum est auscultandum prȩcipienti; Regem honorate. Qualis autem honos Regi habendus est intelligemus si in sacrarum literarum & optimorum authoritate acquiescere velimus. Hæc est igitur prima lex Iustitiæ quæ pertinet ad Regem, vt eum à Deo non casu constitutum, sed Diuino consilio electum, ordinatum & institutum agnoscamus. Altera, vt Regum in precibus

tam

tam priuatis quam publicis ſemper memores ſimus. Tertia, vt reddamus Cæſari quę ſunt Cæſaris: tributum cui tributum. Nemo eſt tam excors, vt ab ijs regnis quę iure hæreditario ad Reges perueniunt, Dei prouidentiam & præſentionem excludat. Quomodo enim rerum minimarum vt auicularum memor: maximarum vt Regnorum obliuiſcatur? In regnis igitur initiandis, occupandis, & poſſidendis nihil eſt fortuitum, nihil à Diuina præſentione occultatum. Quare maior vigilantia & cura eſt adhibenda,

benda, vt regibus tanta authoritate populo præfectis, suum honorem diuina lege institutum exhibeamus: qua quidem in re meo iudicio nulli cedere debet (suadente Apostolo) oratio. Hortor primum omnium vt fiant deprecationes, orationes, interpellationes gratiarũ actiones pro quibusuis hominibus, pro regibus & quibusuis in eminentia constitutis, vt quietam & tranquillam semper vitam agamus cum omni pietate & veneratione. Legimus habitatores celeberrimæ Ciuitatis Hierosolymæ, eiusq; in-

Prima pars Iustitiæ in Regem, orandum pro regibus.

1. Tim. 2. 2

incolas, multiplici peccandi genere ita sibi infensum & inimicum fecisse Deum, vt per eum ciuitate eiecti, exules in aliena terra peregrini & aduenæ essent. His exulantibus sic præceptum
Ier.29.5. fuit: Quærite pacem ciuitatis ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vestra. Non sum nescius aliquem fortassis fore interpretem, cui magis placet hoc orandi præceptum à Deo fuisse institutum, potius vt exulantis populi incolumitati prospiceret, quam vt Regi aut viris

ciui-

ciuitatis primarijs consuleret. Saluo meliore Iudicio, nihil magis cum charitatis institutis & præceptis conuenit quam vt populus cum iam in alterius imperio esset, pro Rege deprecaretur: vt si bonus, in bonitate & virtute progressus faceret: sin malus ad peccandum esset tardior.

Secunda pars Iustitiæ in Regem Tributum.

Superest alia Iustitię pars quæ spectat ad regem, & communi nomine Tributum appellatur. Quod vt alij libentius persoluant, iussu Christi à Petro factitatum legunt. Tributi vero nomine, non solutiones de capi-

capitatione, nec ex facultatum æstimatione census dictus, sunt intelligenda: sed omne subsidium tam pro rebus priuatis quam publicis idoneum, opportunum & necessarium. Cauendum etiam est, ne Regis liberalitati modum statuamus, neque ad calculos suos sumptus vocemus, quod nimis ieiunium est, neque meo iudicio aliud argumentum grauius, aut magis firmum excogitari potest, quo ducantur homines vt Regi postulante sumptui non parcant, quam si meminerint, olim Reges patriæ pa-

tre

tres appellari. Quo quidem nomine non obseruantiam solam sed pietatem omniaque alia officia amoris possunt iure vendicare. Neque in Decalogo aliud nomen reperiatur quod obedientiam in Magistratus imperat quam parens. Sacrum & sanctum est patris nomen quo solo titulo pater patrum & Rex Regum suum in nos amorem notum & manifestum esse voluit in Oratione Dominica Pater noster. Absit igitur vt Regi tam amplo nomine insignito quidquam deesse velimus; Regi vero quod

dabitur erit certe perexiguum si homunculos quosdam audiamus, qui pusillo suo cerebellulo, augustissimam Regis authoritatem & dominationem audent definire. Quoniam autem omnis deliberationis finis est vtilitas, nihilque tam est secundū naturam quam vtile quo nihil homini solet esse antiquius: qui ideo de Regio imperio detrahunt quod in eo ad hominum societatem nihil vtiliter fieri posse putant, vehementer errant. Ab optimis semper nationibus expetitum fuit & receptissimum: tempori

Regius gubernatio optima.

et

exploratione approbatissimum, dignitate supremum & gloria florentissimum, quod profecto nunquã fuisset, nisi illis seditionum iniurijs & tempestatibus minime esset obnoxium: quibus optimorum & paucorum potestates concussæ conciderunt. Olim Romanis, Regis nomen magnum & glorioſum fuisse testantur temporum annales: quamuis postea non tam Regni quam vnius Regis vitijs repudiatum fuit. Romanorum in deligendo imperandi & gubernandi modo celebre semper fuit &

clarum iudicium: quorum prima dominatio fuit Regalis. Romulus enim eorum Rex primus iura dabat leges constituit quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt bonos. Quo mortuo inter Sabinos (qui tum pari cum Romanis iure viuebant) & Romanos commota seditione cum vtrisque male actum fuit. Nam Regis sede vacante, ad interregnum res deducta fuit. Hac opportunitate arrepta patritij summam exercent authoritatem in republica. Hi propter eam qua in populum ferebantur superbi-

am, & iniustam appetitionem alienorum, infesti & odiosi facti sunt populo. Nam tanta erat eorum insolentia & contumacia non modo vt vocem, sed ne vultum quidem patritiorum ferre quisquam posit. Huic tanto malo cum mederi vellet populus ad noui Regis electionem tanquam ad exquisitissimum alexipharmacum confugiunt: & his molestijs defatigatus Numam Pompilium pluribus locis conquisitum suffragijs (quæ quasi libertatis vindicem habet populus) regem declarauit.

Postea vero eiectis regibus, cum consules designati imperij ornamenta, & insignia dignitatis suscepisserit: si domi fuissent conflatæ seditiones & foras bellum factum esset minus fortunatum ad Dictatorem id est regalem potestatem vnius, veluti portum se recipiunt, qua tanquam fonte profluente commune incendium internum domesticum & externum periculosum restingueretur.

Dictaturam cum dicam, vere regiam authoritatem dico, nulli superiori subiectam, liberam, & absolu-

solutam. Quare etsi Romani Regis nomen tanquam molestum diutius perferre non potuerunt, tamen vnius imperium reliquis omnibus gubernandi modis prætulerunt.

Atq; vt huius rei fidem faciam, eos nominabo quorum monumenta rerum gestarum in literis extant. Horũ primus est largius quem primum fuisse Dictatorem suadet Zonoras: Is, cum populus consulibus parere noluit imperantibus vt contra hostes arma ferrent, Dictator electus pro consulibus quod voluit est pru- Dictatores

dentia & consilio consecutus. Testis est Iunius qui deuictis duobus consulibus Paulo Æmilio & Terentio Varro, male se habentibus rebus Romanis propter eam quam Hannibal est adeptus & fœliciter reportauit victoriam: rebus bellicis præfectus Dictator est renunciatus. Testis est Marcus Valerius qui seruorum & eorum qui ære alieno laborabant furore restincto, his ipsis ad bellum conductis, Volscorum armatas copias Dictator superabat. Testis iterum & sæpius Camillus qui Dictaturam ter

cum

cum ſumma laude & commendatione occupauit & perielitantem reipublicę ſtatum emendauit & confirmauit. Quare ſi Romanorũ procereos & tota deniq; reſpublica: qua nulla in rebus politicis inſtructior: ornatior aut prudentior, regum ius & regnandi modum retinebat Regis ſolo nomine reiecto & excluſo: quorſum homines plebeij, maiorum negotiorũ neſcij Monarchiæ gubernationem maledictis conuellunt, conuellendo commutare contendunt, contendendo perturbant? Valeant profecto

fecto leuiculi, obscuri, malicioſi, & vafri, qui cum Diuinis & humanis meliora aut maiora per ſe ſapere non poſſunt, vt rerum nouarum authores habeantur, ab alijs prudenter excogitata, tempore experta, experientia confirmata depraua re non verentur. Hæc ideo à me dicuntur vt omnes intelligant quam cumulata beneficiorum menſura à Deo beantur ad quos Regis dominatio rata fœlix & quieta peruenit.

3. Iuſtitiæ pars. Tertia Iuſtitiæ pars eſt ea quæ ſpectat ad omnes quibuſcum viuimus quam chari-

charitatem appellamus. Religiosum est charitatis nomen: virtutum culmen: pietatis splendor: verę fidei preco: sanctitatis pabulum, peccati victrix, amoris fraterni complementum: cuius vis potissimum spectatur in eleemosyna. Quam si vere interpretari & explicare velimus, nihil aliud esse reperiemus nisi indigentibus auxiliatrices manus porrigere, lapsos erigere, labentes sustinere, omnibus denique auxilium præstare qui nostra opera egent aut volunt vti.

Atque vt liberalitas alia est

est quæ fit opera: Alia pecunia: liceat eadem de ea Iustitia dicere quę spectat ad omnes quæ est charitas: & de ea quæ pertinet ad pauperes quę est eleemosyna. De qua vere licet prædicare nihil esse Christiano homine dignius nihil ad religionis significationem illustrius nihil Deo misericordi gratius, nihil egenis commodius: eleemosyna enim est illa lux, qua luente eius radij suo splendore latissime cernuntur: ille charitatis fructus omni fertilitate abundantior: Illud opus quod nostri in Deum amoris

amoris plus quam reliqua fidem facit. Paupertatis solamen, charitatis specimen, bonorum operum transcendens. Huic officio quod in dando continetur vt melius satisfacere possimus, videndum quid suum cuique est: à quo id suum accepit: vltimo ad quem finē. Quæ accepimus sunt ea sine quibus nulla vita potest esse appetenda aut optanda. Horum authorem omnes boni agnoscunt Deum: ea lege accepimus vt alijs prodesse possimus, & acceptorum fidelem in vtendo reddere rationem.

tionem. Quantum huic officio desunt qui in pauperibus iuuandis nimium parce parci sunt, nos eleganter docet vir imprimis pius & Serm. 81. doctus Diuus Ambrosius. Non minus est criminis quam habentibus tollere: cum abundes, indigentibus denegare. Valde igitur errant diuites quibus est persuasum, Diuitias, siue hæreditario iure ad eos peruenerint, siue suo labore & industria sint acquisitæ, ea lege & iure teneri posse, quo pauperum ius excludant, quibus tamen ex iure naturali, omnia superflua de-

debentur. Quantum cuique opus est ad id accommodandus est diuitiarum modus: non ad perfruendas voluptates sed ad vsus huius vitæ necessarios.

Quam molesta est locupletibus vox illa Christi charitatis plenissima: Vendite quæ habetis & Date eleemosynam. Huc accedat illa donanti facta promissio per Christum. Ea quæ penes vos sunt date in eleemosynam & ecce omnia erunt pura vobis. Plurima sunt in sacris simillima si commemorare velim, quę ad hanc iustitiam nos hortantur. Luc.12.33 Luc.11.41

rantur. Sed sermo hic durus est in quo ipsorum acerrima reprehensio sæpissime occurrit qui pauperes defraudant. Quod profecto faciunt qui nimium tenaces & auari pauperes non auscultant surdastri, & pessime in hoc mundo audientes, qui tandem grauissimas auaritiæ pœnas luent. Diuitis exemplum cuius meminit Euangelista, auaris admodum est extimescendum. Lazarus paupertimus vestibus egens ylceribus scatebat; hunc fames ita stimulabat vt esurionis micis & reliquijs panis quæ

Luc. 16. 23

à mensa

à mensa Diuitis cadebant, refici rogaret, sed non orando, obtinuit. Mortuus pauper in sinum Abrahæ ab Angelis est asportatus. At Dives ventri indulgens, & nulla ex inopis miseria ægritudine laborans, cum è vita discederet, apud inferos sepultus, aquæ refrigerium miser sitiens rogabat, sed surdo cecinit. Væ itaq; diuitibus, quorum animus totus est in diuitijs accumulandis: qui nec oculos nec aures habent patentes pauperibus indigentibus. Atqui in hac iustitiæ parte, quæ est tota pauperum solatio,

desponsata & destinata duo vitia vitanda sunt. Vnum, vt ad largiendum, & benefaciendum, nec tarde, nec
Pro.9. inuiti accedamus. Hilarem dantem diligit Deus: coacta eleemosyna non placet. Alterum vt caueamus,
2.Cor.9. 7,6. ne in tribuendo nimium parci simus. Fœneratur enim Domino, qui miseretur pauperis.

Quam pauci inuenti sunt Zacchæi imitatores, qui Christo suum aduentum & in domum ingressum his
Luc.19.8,9 verbis gratulabatur: Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus: si quid

quid eripui, reddo quadruplum? Donum certe munificum & memorabile: sed fœnus multo locupletius, cui eo die salus contigit facto filio Abrahami.

Vitanda etiam est in eleemosyna humanæ gloriæ aut laudis aucupatio & ostentatio: tollit enim veræ liberalitatis commendationem. Odit Dominus Hypocritarum oblationes: charitatem simulatam: orationem confictam, labijs laboriosam, à cordis simplicitate alienam, ieiunium commentitum, fuco tristis vultus adumbratum: Elee-

mosynam extortam aut inuitam.

Sed verendum est, ne si nimias in dando pauperibus cautiones præcipiamus, quæ nunc exigua est, omnino auferatur liberalitas; facile enim diuites ne in nimium dando errent, adducentur, & pecunijs parcant. In iniustorum certe numerum ascribendi sunt, qui in Reges, viros primarios, iustitiæ ministros, falsa iniuriæ factæ opinione acerbius inuehuntur: aut vehementius eos insectantur: & tanquam odium suum malitiose effundunt,

vt

vt de alterius existimatione aliquid detrahatur. Fateor equidem eos plus quam sicarios, aut homicidas, iniustitiæ reos futuros, si ad Theologorũ trutinam eorum facta reuocentur. Sed de Iustitia & iniustitia satis est dictum: nunc ea pertractabimus, quæ pertinent ad Iustitiæ ministros. Incidunt sæpe tempora vt contentionibus inter homines ortis, vnus eligatur qui litem componat. Hic in lite æstimanda si aliquid ad suam vtilitatem transferet, Iustitiæ fundamentum tollet. Rapere hoc est, non iudicare.

Nam cum iudicia omnia aut distrahendarum controuersiarum: aut puniendorum maleficiorum, causa inuenta sunt, qui iudicium partiũ æstimatione factum domi, ad forum adferunt, præiudicare, non iudicare censeantur.

Commissarij. Sunt etiam alij æquitatis ministri, vulgo Commissarij dicti, quibus à iudicibus primarijs, vel superioribus, potestas facta est: vt citatis, & vtrinq; productis testibus diligenter & fideliter exquirant, & perserutentur, quæ pro rei veritate comprobanda fidem facient.

Quis

Quis non videt quantum horum integritas, & fides incorrupta, rebus prosit publicis; (quibus lege delata accessit authoritas) si integre & incorrupte hoc officium & veritatis cultum tueantur? At cupidi, irati, coniurati, à religione & pietate alieni, quam facile ab homine simplice & timido ea extorquebunt, quæ pro illis faciunt quorum partibus fauent? Antiqua est hæc examinandi ratio, prudens, & necessaria, & annorũ prisca vetustate confirmata. Nam cum testimonium grauior quędam sit

rei confirmatio: & omne testimonium ad fidem faciendam sit grauissimum, quod ex annorum monumentis excitatur, aut senum honestorum fide est comprobatum: quam multi sunt homines certissimæ rerum cognitionis participes, ætate debiles, aut valetudinarij, quorum testimoniũ graue, integrum, & incorruptum esset omissum, prętermisso hoc explorandi genere? Vitandus igitur in his deligendis est personarum respectus, nec committendum vt ad eos authoritas perueniat, in quos, suspitio iniuriç

iniurię faciendę propter auaritiam, amicitiam, aut consanguinitatem merito cadat: hæc sunt illa in rebus paruis, vel maioribus Iustitię præcepta, quę qui colunt & obseruant: omnia officia in Deum vere & sine fraude præstabunt: Regis expectationi æquitatis patrono satisfacient: suum denique cuiq; tribuent: quorum illud viri religiosi est: alterum, subditi obseruantissimi: Tertium, viri boni & charitatis amici.

Cumque Iustitię causa lex ipsa sit constituta, & magistratus mutus est appella-

ta:

ta: cumque magistratus qui legis personam induit, lex loquens habeatur, æquum certe est, parem vtriusque curam futuram vt ad omnium conseruationem æquitas administretur. Integerrima certe lex auri splendorem non admiratur, argentum artis plenum & sculpturâ elaboratum non aspicit, nec aures, nec oculos, nec manus habet incontinentes, totam se conuertit ad iustitiam. Idem censeo magistratibus faciendum, vt vna animorum conspiratione & consensu currat lex, & fiat iustitia.

Clamat

Clamat religiosa, integerrima & innocens lex, Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur. Quare si magistratus, leges loquentes, & legum interpretes, aliter in causis & controuersijs statuunt quam æquitas ferat, in alios sunt iniurioſi: legibus iniustitię labem aspergunt, iniuriarum omnium remedium tollunt, denique conscientiæ naufragium faciunt, cuius angore fraudisque cruciatu agitabuntur crudelissime: Quoniam autem omne officium Iustitiæ, vnus solus exequi & exercere non potest:

test: cauendum est ijs, qui primos locos tenent, vt in eis deligendis quorum opera vti volunt ne fallantur: sed electis, iniuriarum faciendarum periculum, detrahendę iustitię labes, procrastinandæ offensio, prohibendæ infamia sunt prædicenda: tum etiam præcipiendum, vt ab omni corruptione tanquam vitiorum scopulo longissime resiliant: nec committendum, vt in delectu virtus non videatur existere. Præficiendi certe sunt, qui ab morum integritate & grauitate, qui ab æquitate & prudentia, qui

qui à vita bene prius acta iustam commendationem hauserunt. Quo quidem delectu habendo, prudenter & piè nos optime instruit consilium salutare & fidele illud, quo generum suum Moysen hortatus est Exod. 18. 21. Iethro, ne nimium negotijs impliciti sal⁹ periclitaretur, & populus paucioribus molestijs afficeretur: Prouide (inquit) de omni plebe, viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam: & constitue ex eis Tribunos & Centuriones. Religiosum certe & tanto sene dignum con-

consilium. Quid enim est, quod animos hominum ab æquitatis regulis & præceptis auocet, cui in magistratibus decernendis & mandandis prospicere non possunt, qui electionem ad consilium Iethro reuocabunt? *Discite Justitiam moniti & non temnere Deos.*

Etsi iniuriæ faciendæ multi sunt modi, idemque bono viro indignissimi: tamen nullus est detestabilior aut capitalior, quam eorum qui cum id agunt, ita faciunt, vt non modo prudentes, & frugi, sed pij & religiosi videantur: fidem enim

nim præstant in paruis, vt decipiant in maioribus. Callidum & versutum est hoc genus hominum. Omnia ad vtilitatem suam reuocant: quare cum diuitias tanquam summum bonum amplectantur, & Dei loco religiose colant: vt eas adipiscantur quas concupiscunt, omnem animi aciem à iustitiæ consuetudine abducunt: & in alienis bonis conquirendis, callide & diligenter exercent, vt in suam rem, alienam conuertant. Aliorum enim pecunias grauissimo fœnore occupantes, vt locupletes, & indu-

dustrij censeantur: in mercaturis faciendis omnium hominum existimationibus sese venditant: nauem aliorum sumptu ornatam & armatam, & aliorum bonis onustam, maris, prædonum & tempestatum procellis & periculis exponunt, non suo periculo sed aliorum. Iam reditum expectant cum mercatura, quæ si fuerit quam expectabant tenuior, partem tamen aliquam persoluunt, quo facto cum creditoribus fidem tuentur aut augent: sin, (quod absit) vel piratarum & prædonū rapina nauis spoliata fuerit vel

vel ventorum immoderata tempestate naufragium faciat: vel eorum negligentia & infidelitate quorum fidei bona erant commissa, vel fraudulenta venditione amittantur: cum creditoribus omnibus male actum est, clamantibus, Quanta de spe decidi! Quis in hoc casu non videt, hanc iacturam creditoribus esse graviorem, qui mutuo pecuniam dabant, non illi qui mutuo accepit? Is enim soluendo cum non sit Bankerupti (vt vulgo dicunt) nominis ignominiam & infamiam feret, nulla creditoribus


ribus facta solutione. Quo iure quis aliena bona, ad prædonum aut maris pericula audeat proponere nescio Domino; sum certe nescius tum præsertim, cum dispendio facto, nulla superstit remunerandi ratio. Equidem qui aliorú damno aut periculo ditiores esse cupiunt, vacant illa iustitia quæ suum cuique tribuit.

Huius etiam iniustitiæ rei sunt, qui pecunijs alienis terras emunt, non suo nomine, sed filiorum, vt creditores, si debitum suo loco aut tempore non retribua-

tribuatur, nihil habeant quod pro debito exigant. Versutiam ego hanc sentio diabolicam furto detestabiliorem, ita tamen hac ætate vsitatam & quasi omni reprehensione liberrimam, vt qui hanc defraudandi rationem sequantur, cauti & prudentes iudicentur. Belluina certe est ista calliditas, ex inferis hausta, ab iniquissimis hominibus accepta, & nisi malitiosa iuris interpretatione defendenda. Furtis minoribus, & latrociniis, crudelissima supplicia, optimis legibus sunt

constituta : at hi fures & latrones impune peccant. Nam quod furtum potest esse grauius, quam fidem pro solutione datam violare, & sponsores pro non soluto debito, in summa rerum egestate viuentes cernere? Hi tamen versuti ex dolo confícti, iniuriarum ministri, fraudum authores impune nullam pœnam extimescentes, in foro volutant, circumspiciunt, perfrictæ frontis homines, bonorum hominum conspectum impudentissimi vitare nolunt. O tempus miserrimũ lamentabili voce deplo-

deplorandum, in quo luxuries comitem habet auaritiam, superbia contumeliam, fides dolū malum, religio dissimulationem!



Fortitudo.

Fortitudo in
- *Bello pro Patria legitime, in re priuata Defensus.*
- *Labore.*
- *Dolore.*

Fortitudo.

TAm temperantia ad obeunda & ſuſcipienda negotia, corpus magis habile & aptum tradit hominibus: Prudentia, ad ea ſubeunda, hominem inſtruit & parat: Iuſtitiæ, ad omnia æquitatis officia tu-

enda & conſeruanda, præcepta docent: tamen niſi animus fortis & conſtans acceſſerit, omnes reliquę virtutes parum hominũ ſocietati ſunt profuturæ. Quare etſi Fortitudo quarto loco poſita ſit, tamen de dignitate nihil amittet, quam non minus quam reliquas amplexari debemus, ſi quantũ ad optimum beatiſsimumque hominum comitatum confirmandũ confert, ſpectare velimus. Nam fingamus hominem ita in omnibus exquiſite temperatum, vt ad res expetendas aut fugiendas diſtinguendum, ſummam

ſummam curam & cogitationem referat: Ita prudentem, vt citiſsime rerum cauſas inueſtigare poſsit, & veritatem ad rationis trutinam & veritatis ſtateram examinandam reuocare: Ita in rebus dijudicandis paratum & inſtructum, vt in omnibus cauſis æquitatis conſeruatio appareat: tamen niſi animi conſtantia & fortitudo acceſſerit, neque temperans, neque prudens, neque iuſtus eſſe poteſt.

Quomodo enim in Temperante voluptatum deſpicientia, & laborum patientia reperiatur, ſi fortitudo exclu-

excludatur, cuius comites sunt grauitas & patientia? Etsi enim impetus casuum & euentuum prudens & diuturna præmeditatio potest frangere: Tamen si ad doloris acerbitatem, & laborum molestiam, temporis diuturnitas, & morbi cõiunctio accesserint, periculum certe est ne cito deficiant. Cumque iustitiæ fundamentum sit primum, vt ne cui noceatur: deinde vt communi vtilitati seruiatur: quomodo ab alijs propulset iniurias, cui ad audendum deest animus: aut publico commodo consu-

let,

let, qui propter animi mollitiem labores vitabit? Quamplurimos certe reperiemus, qui in rebus publicis administrandis, & causis decernendis optime sentiunt, quid rationi & æquitati consentaneum facile vident: metu tamen ita franguntur & vincuntur, vt officij exequendi modum reijciant. Virtutis autem omnis vis in actione consistit, minime in sola cogitatione delitescit. Si Horatius Cocles commilites hortando, verbis rem egisset, & non sui corporis interpositu hostium impetum

& su-

& furorem tardasset: intempestiua oratio fuisset, & Reipublicæ sero. De cuius nobilitatissima fortitudine hæc ætas fortasis conticuisset, sed amissæ tantæ ciuitatis ignominia ad hoc tempus peruenisset.

Fortitudo duplex.

Duplex autem est fortitudo: vna, quam Respublica vendicat: altera, priuata; quę si defensionis causa exerceatur, est rationi consentiens: sin vltionis & vindictæ studio suscipiatur, est illegitima: omnia enim prius experiri, quam armis, sapientem decet. Claræ mortes pro patria oppetitę, non

non ſolum ſunt poſteris glorioſæ, ſed etiam beatæ videri ſolent. Quoniam autem in eo bello quod Republica poſtulante geſtum eſt, veræ fortitudinis ſplendor elucet: iure quærendum ſentio, an omne bellum ſit legitimum: nam in bello iniuſto fortitudo non eſt, ſed vis, iniuria, & rapina. Qui in alienum Regnum, amplificandi imperij ſui cauſa, nullo iure ſubito irruit, aut hoſtiliter aliquid molitur & cogitat, latro potius eſt perditus, quam hoſtis, & fortis minime eſt habendus; nam fortitudo

eſt

est cum virtute coniuncta: atqui alios iniurioſius tractat, nulla iniuria lacessitus, æquitatis instituta negligit: quare cum à virtute quæ est res ipsa desciscat, grauissimi Fortitudinis nominis dignitatem retinere nullo pacto potest. Bellum illud iustum est, quod vel defensionis causa geritur, vel rebus repetundis: neque hoc tamen est iustum, nisi ante denunciatum & indictum.

Offic. 1. Recte monet Orator, ob hanc causam suscipienda esse bella, vt sine iniuria in pace viuatur. Sic enim à natura accepimus et hausimus,

mus, vt quæ ictu corpus, auras strepitu, aut aliqua turpitudine vitam violant, propellamus & propulsemus. Olim apud Romanos veteres & antiquos, Senatus consulto cautum fuit, ne leuiori aliqua de causa bellum susciperetur: sed iuniores & recentiores, quibus spiritus erant magis fortes, quam vtiles, ad dimicandum erant paratiores. Nobis autem, à quibus iniusto effusi sanguinis vindici Deo reddenda ratio est, tanti sceleris extimescenda pœna est: & cauendum, ne temere ad bellum accedamus

mus illegitimum, in quo non tantum cædes est, sed hominum cum scelere interitus.

Quis Lu. Syllæ immanem crudelitatem qui quatuor legiones post fidem secutas suam obtruncari iubebat, victoriam audet dicere? Quis quinque millia Prænestinorum post fidem per Cethegum datam, abiectis armis extra mœnia euocata, vllo iure humano vel bellico legitime interfecta, vel tacitè audet cogitare? O inauditam perfidiam plus quam Punicam! Quid dico Punicam? Certe

Iesuiticam, Iesuiticam Romanam! O monstrosam crudelitatem, plus quam belluinam! O facinus indignissimum non auditum prius! Quis hunc hominem, propter illatas iniurias patriæ, detestabilem, propter fidem violatam, execrandum; propter omnium scelerum turpitudinem, famosissimum, vel minimam fortitudinis veræ partem induisse putet? Homicidia hæc sunt, & latrocinia, non bella armis decertata, sed fraude & cæde determinata. In priuatis etiam iniuriosis querelis & contentio-

O nibus,

nibus, vel vi vel fraude in-
rendæ, iniuriæ ſuſpicio
tanda eſt, ne belluarum na-
turam turpiter imitari vide-
amur: nam cum ideo leges
ſunt promulgatæ, vt ſuppli-
cio improbos afficiant, &
tueantur bonos, quid eſt
quod improbitatem magis
coarguit, quam legum neg-
lectio? cuius criminis tam
rei ſunt, qui illatæ iniuriæ
vindictam illiciram parant,
quam qui inferunt. Non
enim qui ad vindictam au-
dax eſt, fortis eſt habendus:
ſed qui legi parēt, paci con-
ſulunt, & iniurijs affecti, &
afflicti, ad legum & magi-

Vindicta priuata illegitima.

ſtratus

stratus tum æquitatis patrociniũ confugiunt. Clandestina etiam consilia, colloquia, compotationes, conuentus sicariorum, ad vltionem comparata & excogitata, omnino carent fortitudine. Audax, heu nimium audax fuit illa fratri immerito illata vis, qua fratri vitam Cain eripuit. Gen. 4.
Detestabile fuit præmeditatum facinus Absolonis, 2. Sa. 13. 29
quó fratrem Amnon corruiuantem, vindictæ causa quod sororem compressem, interfici mandauit. Scelus in vtroque agnosco, & facinus memorabile, quod

iusta pœna necessario consequi debebat; tamen violatæ sororis recordatione homicidij excusationem non habet. Quarè qui huius facti turpitudinem, aut amoris in sororem, aut fortitudinis egregio nomine mitigandam putabit, plane exsors est: in quo vindictæ causa instituto & suscepto, frater fratrem, fraterni amoris & legis diuinæ oblitus, insidijs è vita tollebat. Cuius eo grauior est culpa, quod conuiuandi simulatione præmeditati homicidij opportunitatem haberet prouidè curabat. Iam

vero quæ est in re priuata defensio, ea iustam habet defensionis causam, si sit causa legitima, & naturæ legibus consentientem: qua iudice, fas est vim vi repellere, si nulla fuerit alia propulsandi ratio. Atque hæc quidem naturæ lex est cum ratione conueniens. Incidunt enim sæpe tempora, vt homini vis & iniuria inferantur, quæ vitari non possunt, nisi præsentis animi vtantur consilio, & animus ad resistendum fuerit fortis. In quo casu impediri metu quo minus se tueatur, nimis demissi animi est minimeq; virilis.

virilis. Sin alius superst vitandæ iniuriæ modus, absit vt armis decernatur. Omne enim singulare certamen, animi irati impetu natum, nihil habet in se magnanimo aut forti viro dignum: sed præceps animi motus est, à lege & natura alienus. Atque hoc loco mirari satis non possum, cum de tetris quæstio fuerit, atque armis & pugnis dijudicanda sit, quo se iure diuino tueantur, qui conducti vt alterius causam agant, ad pugnam accedunt, non suo iure periclicante, sed alieno & peregrino.

Sperant

perant fortaſsis Fortunam, velut æquum iudicem, vnde ſtabit ei victoriam daturam. Litis hæc eſt æſtimatio, non iudicium. Qui authores litis ſunt, ſuam ipſi ius tueantur, ſi ſine ſanguine & ferro lis terminari non poſsit. Alienos & peregrinos ad ſanguinis effuſionem & mutuam internecionem conducere nihil aliud eſt, quam præmium ſcarijs & gladiatoribus ſtrenue dimicantibus proponere. Quod ſi forte acciderit, vt vno ictu ambo digladiatores interficiantur, quid in hoc certamine

cauſæ æquitatis apparebit? An tertio aut quarto relicta linguæ contentione, ad arma & gladium iterum eſt proſiliendum? An iterum ad cædem reuocanda lis eſt? (De iure non quæro) ſanguinis effuſionem, cædem, homicidium, animus meminiſſe horret. Quid legum interpretes habent, vt hoc iudicij genus defendant ipſi viderint, ego libenter præmefero, me in ſacris literis ſanctitum legiſſe; Non facies malum, vt veniat bonum. Ius ſuum cuique tribuere, certe bonũ eſt: hominem occidere,

certe

certe malum est. Homicidio autem voluntario, nihil fol vnquam vidit indignius. Videant igitur animosi, vel amentes potius Duelli patroni, quam longe à Sacris aberrãt, quib⁹ parere omnes debent, qui iuuenũ efferuescentes animos, ad homicidia armare, incitare, & prouocare non verentur, contra omnes fortunę impetus. Execrandum est hoc genus hominum: qui enim alios à religionis præceptis & legum obseruantia dehortando abducunt, non minus sunt sceleris conscij, quam hi qui contra leges

factum

factum commiserant. Equidem vereor, quod nisi Edictum Regis prudentissimum, summa cura religose institutum interuenisset, homicidium tam fuisset frequens, ac si authoritate publica fuisset armatum.

Edictum Regis.

Quid enim est, in quo in alium peccare tam grauiter aliquis potest, cui satisfacere aut mederi lex non potest, nisi iniqui rerum æstimatores esse velimus? Clamant homines leues atque fallaces assentatores blandiloqui, generosi animi non esse ad leges confugere: audere & illicitum aliquid

quid facere, animi esse fortis & spiritus elati, generoso dignissimi. Minime certe miror hos, qui delirantes vmbram virtutis consectantur, verę fortitudinis nescios, in re tam manifesta labi, & aliorum irritamentis deceptos, errare. Sed mirari desinam. Oculos habent vindictæ, & linguas suasores, ad assentandum eruditas: ad litem commouendam inflata & sesquipedalia verba, omnia assentantur, omnem litis intendendæ noscunt artem, opportunitatem aucupantur: & de ingenij vi in fraude & dolo

dolo malo exercitati gloriantur, vt ingeniosi & prudentes vocentur.

Quod enim vitium tam terrum est, quod alicuius virtutis fuco illitum, virtutis speciem non induat? Luxuriosus liberalitatis cõmendationem ambit: Prodigus se munificum & hospitalem esse gloriatur: Auarus frugi dici vult: Audax se vere fortem esse prædicat. Diabolica hæc est eloquentia ab antiquis ducta temporibus: qua mandati Dei satis noti contemptum (*fuco vtę fortę*) vetus serpens humanæ salutis in-

ratus hostis dealbauit.

Qui vindictæ authores, suasores, & defensores se audent profiteri, sacrarum Literarum ignaros, Christianæ Religionis nescios, Diuini mandati inimicos, fraternæ charitatis hostes se esse audeant dicere. Audiant ergo Salomonem: Ne dicas, inquit, Reddam malum malo; sed expecta Dominum, & ille liberabit te. Audiant Dominum, suum ius vendicantem: Mihi vindicta, & ego retribuam. Atque iterum imperantem: Non occides. Qui horum memores esse volunt, Prouer. 20.

volunt, non tam audacia ad vindictam accedent, at alios lingua scelerata, tanquam flabello seditionis, ad dimicandū excitabunt. Bellua rum hi sunt impetus animi, quibus tanquam tauri cornubus tauros, sic homines hominem armis petunt.

Quoniam autem non modo in periculis prudenter adeundis, sed laboribus perferendis animi magnitudo cernitur, & doloribus despiciendis; diligenter cauendum est, ne periculis propositis, nimium audaces simus & parati: etsi enim periculi fuga nunquam est com-

mittendum, vt imbelles nidique videamur; tamen qui se temere inferet in periculum vitæque discrimen, veræ fortitudinis gloriam amittet: nihil enim est forte quod vacat grauitate & patientia. Atque vt in periculis fortitudo: ita in laboribus constantia & patientia versatur. Vtraque certe bono viro dignissima. His autem cautio est adhibenda, ne in despicienda salute nimium dissoluti, turbulenti, aut temerarij videamur. Nunquam enim temeritas cum sapientia cõmiscetur: nec cum consilio audacia

audacia potest consistere. Vera fuit & summa laude digna Horatij Coclis & aliorum fortitudo, qui Republica postulante, se periculo mortis committere non metuebant: quorum certe mors patriæ deuota, & tanquam hostia constituta, summam veræ fortitudinis gloriam & laudem meretur. Qui vero temulenti & temerarij in armatas hostium copias irruunt, nullo consilio aut ratione ducti, etsi hostium impetus & exercitum perfringunt, fortunati magis quam prudentes, fortes mehercule minime censendi

endi sunt. Nihil enim est magis à fortitudine & magnanimitate alienum, quam præceps & cæcus amentiæ & furoris motus: turbulenta enim & temeraria omnia cum periculo non careant, in fortem cadere nullo pacto possunt; qui omnia grauiter, prudenter, seuerè, & constanter agit. Atque illa actio quæ aduocata iracundia fit, aut fortis omnino non est, aut certe rabiosa. Satis enim est per se instructa, armata, & parata, vera fortitudo: de eius dignitate & splendore multum detrahunt, qui Iram

cotem fortitudinis audeat
Plut. prædicare. Quis Ca. Cæsaris ancipitem conatum, qui servi vestimento indutus,
Val. Max. suam majestatem occultabat, & temere navem conscendebat, & subito in altum delatus, naufragij infœlicem pertulit exitum, tanquam rem bene gestam agnoscet? Temeritatis varij sunt & subiti impulsus, quorum ictibus hominum mentes concussæ & occæcatæ, nec sua pericula despicere, nec aliena facta justa æstimatione prosequi possunt. Quare quæ temerè aut nullo consilio ad-

miniſtrantur, eadem tanquam bene & prudenter, aut fortiter facta, aut magnanimo digna qui admirantur, & re probant, iniquiſſimi ſunt magnanimitatis iudices. Nunquam enim temeritas eſt ſapientiæ comes. Luc. Iunium: & Pub. Claudium conſules, quod contra auſpicia temerè & infœliciter nauigarunt, omni ſupplicio dignos ſenatus populuſq; Romanus iudicabant. Quod ſi in illos qui contra auſpicia negotia ſuſcipiebant, ſpreta maiorũ conſuetudine, tam acerbè ſtatuebant, vt gra-

uissima pœna castigando; censerent: quę satis exquisita pœna in illos excogitari potest, qui inconsideratissimæ & dementissimæ temeritatis plenissimi, spreto Dei præcepto, neglecto Regis mandato, despicata legum authoritate, ob leuissimas causas imprudenter ad arma, ad cædem, ad homicidium rapiuntur. Vt in rebus bellicis, quæ Reipublicę causa fiunt, odiosa & periculosa est temeritas, & in singulari certamine grauissima non vacat culpa; sic in laboribus perferendis, qui spectant ad publicum siue

priuatum, omnis animi propensio ad agendum parati, rationi & consilio non pareat, stultitia, & amentia potius est habenda, quam patientia, aut laboris cum consilio tolerantia.

Neque eos in fortium virorum numerum adscribendos arbitror, qui capite & vita ob scelera mulctati, intrepide, audacter, & imprudenter ad supplicium accedunt, nulla poenæ acerbitate aut mortis formidine perterriti. In his obstinationem, pertinaciam, & impudentiam agnosco, non animi constantiam aut fortitu-

dinent. Mirari itaque satis non possum, qua ratione eos tanquam fortes, magnanimos & constantes prædicant, qui Regibus violentas manus audent inferre, nulla certè alia ratione, quã quod acerbissima pœna huic atroci & immani sceleri constituta, à tanto maleficio non deterrentur. Detestabilia hæc, & omni cruciatu dignissima, omnes boni iudicant. Horũ (nescio quam) indolentiam qui admirantur, aut laudant, valde errant. Legimus apud Gulenum, seruum quendam barbarum, vt dolorem pœnę

ab

ab hero inflictæ contempsisse videretur, tam diu spiritum retinuisse, & ab respirandi vicissitudine abstinuisse, vt contento spiritu, suffocatus interiret. O præclarum moriendi modum, scilicet, Barbaro dignum! Si ad hæc tempora eos natura seruasset, qui à Pyrrho perfugâ, qui senatui est pollicitus se venenum Regi datum, & cum necaturũ, eundem Pyrrho dabant, nec cum scelere eius interitum approbabant: quid in eos statuturos putamus, qui non modo Reges clam veneno occidendos, sed cul-

tris venenatis, in oculis ci-
uium trucidandos aperte
probant? Quibus etiam cer-
re est, vt non modo impune
faciant, sed etiam cum in-
terfectoris gloria. Hoccine
ne humanum factum? hoc-
cine consilium Theologis
dignum? hoccine charitatis
vinculum, aut pietatis do-
cumentum? Quorum dete-
stabilia facta omnes ode-
runt, quos omni cruciatu
dignos omnes iudicant: eos
in Sanctorum societatem
adscribi, quam est à Religi-
one alienum, quam dictu,
quam Belsibuticum! Quti-
nam his esset persuasum

qui-

quibuſcum viuimus, hâc vi-
tâ actâ, grauiores poſt mor-
tem pœnas dignas ſcelere
eſſe ſubeundas, nec tam ala-
criter præſentem pœnam
ſuſtinerent! Magnum certe
fuit illud Romanorum in
perfugæ repudiato ſcelere,
iuſtitię, & præclarũ exem-
plum; at hac ætate tam inex-
plebilis eſt carnificina &
crudelitas multorum, vt
cum hæc immania & nefa-
ria facinora ſuſcipere ipſi
non audeant: alios maxi-
mi pręmijs conducunt,
qui Regũ vitis inſidientur.
Belſebub Hæreticon, & di-
uina hæcina Ditis,

Hæc

Hæc nuda sunt vestris impia docta scholis.

Valeant igitur homines impuri, qui religiose & iuste Reges trucidari posse profitentur, & in his factis fortitudini locum esse putant.

Alia fortitudinis pars in laboribus.

Nunc ad aliam fortitudinis partem dilabetur oratio; nimirum, laboris Tolerantiã non tam periculis, quam molestijs propositam. Labores communi saluti aut priuatę vtilitati necessarios, vel otij, desidiæ, inertię, aut voluptatis causa qui subterfugere conantur, omnia officia & præcepta iustitiæ pro nihilo putant; qua omissa,

illa, omnis laus fortitudinis penitus colliturs ea enim lege nati sumus, vt non ex inertia voluptatem, sed ex labore gloriæ & vtilitatis aliquid adipiscamur. Recte igitur præcipiunt, qui adolescentiam & ineuntem ætatem in labore patientiaq; animi & corporis exercendam sentiunt: vt cum ad maturiorem ætatem accedant, minore dolore & molestia grauiores labores perferant: nam à teneris assuescere multum est. Qui enim otiosam vitam deliguntj, quia est facilior & paucioribus periculis obnoxia,

noxia, laboriosam deser
quia pluribus periculis
subiecta, sibi consulunt,
patriam negligunt. Est
men haec vita ad claritate
& amplitudinem aptior, i
veram vtilitatem fructuo
sior; tum ad res magnas a
sequendas accommodatio
Ex quo fit, vt obscuro loco
nati homines infimi ordi
nis, aut doctrinae studijs di
ligentes, aut in rebus belli
cis tractandis expediti &
periti: aut in rebus rustici
colendis laboriosi, summam
in Republica dignitatem
sint adepti. Dij enim labo
ribus omnia vendunt.

Tullius

Tullius Hostilius adoles-
cens, occupatus diligenter
in pecore pascendo, propter
am quam habuit in labore
olerando animi constan-
iam, tum propter corporis
obur, vir imprimis nobili-
atus, tandem Romano im-
perio praefuit, maxima re-
um gestarum commenda-
ione honorifice insignitus.
Neq; moleste quisquam
ulat, si in hoc regno omniū
ordinum optimorum copia
lorentissimo, multas fami-
lias ab infimo loco elatas,
diuitijs auctas, & splendi-
dissimis honoribus ampli-
ficatas, reperiri posse statu-
am:

am: quarum alij rei militaris gloria, alij legum conditionis prudentia, alij alia artium liberalium studia mirifice floruerunt: & melior est parta, quam innata nobilitas. *Qui genus iactant suum, aliena laudant.* Qui non recte sentiunt, quidem trahi de sua nobilitate aliquid putant à maioribus accepta, si eandem tanquam nouam recenseri aut enarrari audiant: sed potius operam dent, ne indigni videantur, ad quos tanti honoris aut gloriæ hæreditas peruenerit. Acceptum tueri laborent, vt nec sibi nec suis de-

fuisse videantur. Quotus enim quisquam reperiatur, qui in labore perferendo industria, in bene agendo celeritas, in exequendo consilium non defuit: qui diligentiæ, industriæ, laboris mercedem non assecutus est gloriam.

Etsi plures sunt iniustæ causæ prætermittendi & omittendi eius officij, quod spectat ad communem hominum societatem: tamen nulla est peior, aut homine magis indigna, quam illa quæ oritur ex timore, pigritia, aut voluptate, quibus qui corrumpuntur, aut tanquam

sb

quam hausta contagio inficiuntur, ad publica munera exequenda, tardi & inuiti, vel nunquam nisi coacti accedunt: æquius tamen erat id voluntate fieri.

Etsi labor & fortitudo finitima quodammodo videntur: vere tamen distinguantur. Labor enim in negotijs versatur: fortitudo in periculis. Quare rectissime Orator Cicero, labor est functio quædam animi, vel corporis grauioris operis & muneris: Dolor autem (in quo ferendo fortitudinis laus consistit) est motus asper in corpore à sen-

Tusc. l. 1.

sensibus alienus. Ex quo patet, eum, qui mediocre quiddam, aut vere magnũ sibi proponit, hunc laborem cum molestia corporis, & anxietate animi coniunctum sustinere debere. Labores autem & vigilias, tum curas & solicitudines, quæ sunt ægritudines cum cogitatione, quas Respublica imponit, qui inuitus suscipit, aut susceptas deserit, & desidiosus dicet, Quid est in hoc tam exiguo & breui vitæ curriculo, cur tantis nos laboribus exerceamus, otiosam ego vitam & ætatem sine vllo labore, & contentione

tione traducere voloet. Hic
otio ſtudeat ſine negotio,
negotium non fugiet ſine
infamia, & in otio non deli-
teſcet ſine dedecore, flagitio
& turpitudine. Ad otium
& ſomnum nati non ſumus,
ſed ad laborem & ſolicitu-
dinem: nec belluarum mo-
re in delicijs eſt aquieſcen-
dum aut conſeneſcendum:
ſed ſemper aliquid eſt agen-
dum, in quo virtutis ſpeci-
men & lumen eluceat; ne
non tam Rempublicã, quam
naturam aſpernari videa-
mur. Hæc legem viuendi &
diſciplinam ſingulis dare
ſolet: deſidiam odit, ad la-
borem

porem hortatur. Etsi cuiquam liberum sit deligere quam viuendi viam ingredi volet: à natura tamen hausimus, arripuimus & accepimus ad vitæ institutum & genus, dispositionem quandam: quam si sequamur, majore facilitate res magnas geremus, & quod volumus assequemur. Natura enim duce, & comite diligentia, ad omnia aditus patebit facillimus. *Tu nihil inuita facies dicesue Minerua.* Qui Græciæ formã Rerumpub. dederunt, corpora Iuuenũ labore confirmari voluerunt, inertissimum & desi-

diosissimum otium interc. cunt omnibus: adolescentum commendationem à sudore hauriri imperabant. Quo tempore nec otiosis Græciæ, nec intemperatis escis, nec immoderatis potationibus, nec Tobacci voracibus heluonibus locus vllus fuit. At fumo iam magis est consultum quam famæ, ventri quam virtuti, vanitati quam valetudini.

Legimus Æmilianũ Scipionem militiam alijs propter difficultatem vitantibus, sibi proposcisse: cuius exemplo, neque erat in exercitu quispiam aut nobilitate, aut

aut animi indole, qui ſaluti ſuæ parcere voluit, pro amplificãda aut tuenda patria. O præclarum exemplum magnanimitatis! Quæ olim Græcis dicta politice, medice & politice putemus ſcripta omnibus. Non minus enim homines alunt ad militiam aptos, quam ad valetudinem ſanos: animi aciem intendunt: ad corporis vires augendas conducunt. O bene moratam illam Ciuitatem, & ad bene viuendum optime inſtructã, in qua omnes ſuæ artis & ſcientiæ inſignia geſtábant! quibus demonſtrabant ſe ad

eas res gerendas esse paratos, quarum aperte cognitionem profitebãtur. At nunc quam multi sunt, qui si cogerentur prę se ferre instrumenta ad aliquam operam necessaria: fistulam tantum fumosam in ore gererent, nisi tanquã milites fortasis succincti essent gladio, cum nec arma nouerint, nec castra, nec aciem, nec hostem vnquam viderint? Minime profecto dubito, quin multa sunt exempla hominum nostratium, quorum vitæ institutum si sibi ante oculos ad imitandũ proponerent, melius sibi prospicerent,

sunt, saluti suæ & fortunæ prudentius consulerent. Sed in popinarum tenebris otiosi delitescentes, propter metũ doloris laborem consequentis, lucem intueri non audent: & fumo tanquam cibo pasti, nihil in se habent solidi, nihil homine dignum, ne boni viri pilum. Ex quo fit, vt alij rapinarũ, alij latrocinij, alij stuprorũ, alij homicidij sceleris conscij, impurissimam vitam, cum miserrima morte commutent. Quid enim aliud ab eis expectare debemus, qui tanquam belluę, Dei immemores, communis in Rem-

publicam muneris oblii, in ſeipſos inimiciſſimi, nec Solem aſpiciunt orientem, nec nocte tempeſtiue decumbunt. Horum hominum patroni & nutrices ſunt popinæ & lupinaria, in quibus omnem adoleſcentiæ & ineuntis ætatis errorem fugunt Iuuenes, Tobacci fumo inflati, & aquæ vitæ ſubtili ſpiritu veneficati. Magnum eſt hoc in Republica malum, & extimeſcendum; cuius ſi ſe vindicem Deus præbeat, quas pœnas luent homines ſcelerati atque impij, non modo corporibus moleſtiſſimas, ſed animi

angore

rogore & conſcientiæ cruciatu? Atque huius peccati etſi multę ſunt cauſæ, tamen nulla eſt maior quam otium, vnde veriſsime Poeta: *Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.* Quare qui imminens & huic flagitio debitum ſupplicium vitare volunt, aut rebus bellicis ſe exerceant, aut labores quotidianos ſuſcipiant, aut aliquid agant quo adoleſcentium ætas à libidinibus arceatur. Atque his etiam eſt pręcipiendum, vt exercitatione ludoque campeſtri potius vtantur, quam vrbanis & domeſticis. Habent enim domeſticæ ex-

exercitationes ludiq; plerumq; comites ebrietatem, immoderatas potationes, aut intemperatas escas: quibus iuuenum animi in illum errorem incidunt, quo procliues fiunt ad libidinem. Nam sine Cerere & Baccho friget Venus. Assuefacienda igitur sunt hominũ corpora assiduitate quotidiana & consuetudine, vt ad laboris & doloris molestias perferendas sint aptiores, tum sudore defatigati, ad Venerem sint tardiores.

Quæritur Origines, quare sit factum Adulter?

In promptu causa est: Desidiosus erat.

Neque

Neq; ſolum moderata laborum conſuetudine corpora reficiuntur, & recalefaciendo, Colorem & Carolem naturalem tuentur: ſed animi dotes corporum ſordibus expurgatis per labores, multo fiunt alacriores, & ad ea præſtanda quæ ſpectant ad animam, magis habiles & propenſiores. Quis enim non videt in ſomno, animum poſt laboris à ſocietate & contagione corporis ſeuocatum, quaſi diuinitus præteritorum meminiſſe, præſentia cernere, futura prædicere & prouidere? ac interdiu rerum

aſpectu

aspectu oculi, aures quas rij soni complent, tum motus corporis inconstantia, animũ auocent ab ijs rebus, in quibus eius virtus potissimum spectetur. Tum humores otio incrassati, & ventilationis defectu corrupti, mentis aciei caliginem, & quasi tenebras offundunt.

Exercendum igitur corpus est, ne desidia consopitum, animi lucem impediat: nec committendum vt cum sensus hominum, sensibus antecellant bestiarum, ea sequi videamur, quæ bestiarum potius

quam hominis naturam attingunt. Atque hæc de Fortitudine & laboris tolerantia dicta sunto.

FINIS.

VIR BONVS.

Q. Vir Bonus est quis?

R. *Qui consulta Patrum, qui leges Iuraque seruat*

TEMPERANTIAE,
PRVDENTIAE,
IVSTITIAE,
FORTITVDINIS.

Henry Bradshaw.

Discе mori mundo, viuere discе Deo.

Authore *Tho. Moundeford*, Cantabrigiense alumno, Collegiorum Regalium Canta. & Ætonius: nunc *Socio Coll. Med. Lond.*

Impressum Londini per F. KINGSTONVM. 1622.


BIBLIOTHECA PROVINCIALIS

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE PRINCIPI, IACOBO,

Britanniæ Magnæ Franc. & *Hibern. Regi, fidei propugnatori, pacis fundatori, Bonarum literarum Patrono.*

CVm de Viro Bono aliquid scribere instituissẽ, atq; institutum absoluissem,

multum diuq; cogitando, animo reuoluebam, cuius opem ad boni viri patrocinium implorarem: tandem is mihi visus est aptissimus, cuius in Deum Religio: in bonos pietas: in omnes charitas clarissime elucebat. Quare (Rex Potentissime) te præter cæteros his virtutibus insignitum & florentissimum, quæ boni viri integerrimam essentiam complectuntur:

vt

vt ad huius defensionem libenter accedas submisse rogo: cuius in dictis grauitas, in factis prudentia, in priuatis diligentia, in publicis solertia facile fidem faciunt te Bono Viro nunquam de futurum. Hæc domi intuemur maxima: Hæc foras, ita magna omnes admirantur & prædicant, vt nihil his addi posse videatur. Fruere igitur Rex Serenissime, à virtu-

tis vberrimis fontibus hausti, istis tuis iustissimis laudibus, & tam diu fruere, quoad harum præconio, omni nationi, omni ætati, omni memoriæ celeberrimum, commendatissimum & nobilitatissimum te futurum esse non pœnitebit.

Maiestati tuæ omni obseruantia deuotissimus,

THO. MONDEFORD.

Viris maxime egregijs & *præclarissimis, Reuerend. Patri*, IOANNI, *Episcopo* Lincoln. in Sacro conscientiæ foro Cancellariæ Iudici Primario, Magni Sigilli Custodi, *Regiæ Maiestati à Consilijs Secretis.* Iacobo Lee, *Militi, in Regijs subsellijs iustitiæ, Iudici primario.* Iulio Cæsari, Militi, Regi à Consilijs secretiss. Rotularum Magistro. *Henrico Hobart*, Militi, Baronetto in docta iuris publici Curia Loci communis Iudici *primario.* Laurentio Tanfield, *Militi, in Schacchario Regio Barono primario.*

NE miremini, viri optimi, honoris, Iustitiæ & Prudentiæ

¶ lau-

laudibus florentiſsimis, ſi in ea re quæ ſpectat ad boni viri defenſionem, veſtra opera vti velim. Etſi enim Sereniſſimum Regem *Jacobum* integre integerrimum pietatis, probitatis, & virtutum omnium Propugnatorem agnoſcimus: tamen in re præclara, & veſtro ſtudio digniſsima, ſinite, Iudices grauiſsimi, vos exorari, vt huic *Bono Viro* veſtras auxiliatrices manus porrigatis. Vos enim propter eorum locorum authoritatem, quibus vos Rex potentiſsimus præfecit illo abſente, publicis eiſdemque maximis negotijs

gotijs ſolertiſsime occupato: multarum iniuriarum iuſtiſsimas & quotidianas querimonias, aut in ſcriptis oculis intuemini: aut lamentabiles voces deplorantium auribus accipitis, veſtrum auxilium implorantium. Nolite igitur, viri præclariſsimi, committere vt erga bonum hunc hominem, cuius ego iam cauſam ago, defenſorum iuſtiſsimorum munus inuiti expleuiſſe videamini.

De tua Reuerendiſſ. præſul in bonos pietate, in ſupplices humanitate, in omnes iuſtitia dubitare nemo po-

teſt, quem natura omni vitę tempore ad morum ſuauitatem & Theologiæ ſtudium, ad omnia virtutum officia, finxit, formauit, & excoluit. Quem eſſe natum communis omnium bonarū literarum parens Academia Cantabrigienſis lætatur: & nos eam tanto & tali auctam eſſe filio ſemper lætabimur. Nunc à te peto, vt huius libelli nomen, cui titulus (*Vir Bonus* eſt) tuam dignitatem ad eius patrocinium alliciat. Habet enim vniuerſalis & particularis iuſtitiæ præcepta.

Tuā vero, Iudex grauiſsime

me & Honorate(qui Regijs ſubſellijs Regijs iudicijs es præfectus: omniũ ſententijs & ſuffragijs iuſtitię adminiſtrandæ laudem maximam es adeptus) in bono hoc viro defendendo tutelam & præſidium omnes expectant: quia facile facies quod ſemper facis, ſi (vt ſpero) cum optimorum hominum concordia,& conſpiratione tua in hanc meum *Bonum Virum* animi propenſio appareat.

Ego à te(Cæſar optime) per plurimos annos in Prudentiſsimorum & Nobiliſſimorum ordine allocato,

& in vtroque iure exercitatiſsimo, vehementer obſecro, vt cum tua poteſtate *Boni Viri* propugnaculum coniungas.

De te, grauiſsime Hobart, in legum præceptis (propter loci quem occupas authoritatem) quotidie diligẽtiſsime verſante, pauca dicam, veritus ne ſi pro tuo merito dicerem: affinitatis cauſa falſam tibi laudem affinxiſſe viderer. Tu vero, vir prudentiſsime, perge quo incepiſti pede, & quem nactus es in audiendo patientiæ: in iudicando integritatis & continentiæ com-

commendationem fac tueaaris: quo facto nec tibijpſi nec bonis defuiſſe videberis.

Magnus ſemper fuit, egregie Tanfield, tuus in Clientũ procuratione Honos; magna in cauſis agendis ſolertia; magnum in explicandis ingenij acumen. Hæc in te altiore loco, tuo merito collocato clarius elucent: quare nullam dubitationem apud bonos relinquis, quin in huius *Boni Viri* propugnatione egregie te cordatum defenſorem præſtabis.

Reliquum eſt (viri præſtantiſsimi, Legum patres, iuſti-

iustitiæ Patroni) vt coniunctim & diuisim, vestrã Pietatẽ, Prudentiam, Potestatem, Integritatem & Solertiam implorarem & obtestarer, ne sinatis vos huius *Boni Viri* perfugio & solatio deesse.

Vobis viris optimis, omni officio deuinctissimus,

THO. MOVNDEFORD.

Ad Lectorem.

AVdire vocem visus sum dicentis: Tantumne est à re tua otii tibi aliena vt cures? Huic sic respondeo. Medico nihil oportere esse alienum, quod ad Dei cultum, Regum honorem & obseruantiam, omnium vtilitatem & charitatem spectat vel iurato fas est dicere. Nam cum omnis actionis approbatio, vel rationis firmamento, vel authoritatis grauitate, vel exemplorum commendatione stabiliatur: quis est qui se rationis participem, Religionis memorem, charitatis patronum audet profiteri,

fiteri, si illa officia deserat, quæ spectant ad Deum, Regem, & proximum? Equidem quis est cui ex animo magis persuasum esse debet: Deum, Dominum Authorem, & moderatorem omnium rerum esse, quam Medico? Is in humani corporis structura à summo, sapientissimo & perfectissimo artifice, omnes eius partes affabre ad vsum, ad venustatem concinne ad excogitatã speciem elaborate factas intuetur, tractat, & admiratur. Nihil in his fortuitum, nihil casu factum agnoscit, omnia summa admiratione obstupefactus laudat. Quid est igitur quod quenquam hominum magis ad Deum colendum alliciat, quam harum rerum conspectus, concinnitas & pulchritudo? Quis animalis spiritus per neruos: vitalis per arterias: naturalis per venas

venas ductum à ſuis fontibus tanquam per canales non admiratur; cum eos in vniuerſum corpus transfundi & infundi fateatur, ſola natura duce? His perſpectis & cognitis, ſi quis naturæ vim, cuius Deus Miniſterio vtitur laudet: ipſamque tanquam Deicolam ſuſpiciat, & honore aliquo dignam putet, huic venia eſt concedenda. Non enim morbos curat Medicus aut Medicina, ſed natura, à qua omnis medicamentorum vis proficiſcitur & in actum producitur. Natura enim in Medicinam primo: Medicina proxime in morbum agit: vtriuſque vero vim ſoli Deo, qui curat omnes infirmitates, acceptam referamus. Quare etſi quidam homo Geſnerum è Latina in vernaculam Linguam conuertens: dum virus acerbitatis ſuæ in omnes

Medicos

Medicos euomit, hanc labem Medicinæ professoribus & nostri ordinis hominibus aspergit, vt eorum pauciſſimos veros Christianos agnoscat: tamen ex pluribus vix paucos Romanos, ex omnibus certe non vnum Atheum reperiet: nisi charitatis oblitus, cuius præco esse debet omnia ad suum iudicium reuocet. Quoniam autem veritas contra omnem malitiam, calumniam, fictamque labem facile se per seipsam defendit, huius erroris Authorem si non despectum, certe neglectum relinquam. Eorum qui Medicinæ laudibus floruerunt, & senescentes ad Sacras literas tractandas se contulerunt quamplurimos reperiemus. Horum ego exemplar septuagesimum sextum annum agens, mihi ad imitandum proposui, in re tam laudabili & bono

Viro

Viro digna. Atque vt à noſtratibus exordiar: Linacerus, de cuius ſummis laudibus in re Medica eſt omnium gentium conſentiens fama: ſenex Sacris ſe totum deuouit, & ſacerdotali inceſſit, amictus toga coccinata & pileo quadrato. Franciſcus Valeſius, vir & medicus in primis doctus, ætate prouectior, Sacras literas ita ſtudioſe perlegebat, vt quæ in his occurrunt Philoſophica, eadem acute & accurate tractaret in eo libro qui Sacra Philoſophia eſt nominatus. His accedit Leuinus Lemnius, ſingulari ingenii acumine, qui ſimilitudines & parabolas, quæ in Bibliis ex herbis atque arboribus deſumuntur diligentiſſime & dilucide explicuit.

Quare quid impedit, quin in moralibus virtutibus primariis vberius & fuſius explicandis optimorum

timorum hominum commemorabilius; Virtutibus prædito-rum exempla imitandi cauſa in medium proferam, quæ in ſacris copioſiſſime occurrunt? Quis Diuinas Sententias authoritate cœleſti Scriptis mandatas, quæ ad virtutem & pietatem hortantur, hoc loco excludendas ſentiet? Ex quibus, tanquam ex copioſiſſimis fontibus omnis bene viuendi & moriendi Ratio & inſtitutio eſt haurienda.

Temperantiæ.

Temperantia in
- victu: Ieiunium, Ebrietas.
- veſtitu: Sumptus, Forma.
- moribus: Obſcœnitas in verbis. Lenitas in actionibus

PRæclarè (vt multa) Romanorum Oratorũ ſplendor M. T. Cicero. Omne quod honeſtum eſt, id quatuor fontium oritur ex aliquo. Aut enim in perſpicientia veri ſolertiaque verſatur; Aut in hominum

minum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique & rerum contractarum fide; aut in animi excelſi magnitudine & robore; aut in omnium quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine & modo.

Ex quibus eſt videre, ſolâ naturâ duce, olim homines virtutis participes, ad has quatuor virtutes, tanquam ad normam Iuris, & formulam iudicij, omnes actiones ſuas direxiſſe. Has pluribus ab Oratore enumeratas, mutato ordine paucis enarrabo; quæ ſunt huiuſmodi, 1. *Temperantia*, 2. *Prudentia*,

3. *Iu-*

3. *Iustitia*, 4 *Fortitudo:* Has cum tractandas suscepissemus, propter eam, quam Sacris literis tribuimus, dignitatem, recensendo ordinem permutauimus, quas libro Sapientiæ *Salomonis* Cap. 8. 7. sic collocatas reperiemus. Harum vnicuique suus honos est concedendus, quem suo iure vendicet. Quoniam autem nihil hominem ad belluarum naturam propiùs accedere declarat, quam si in dictis obscænitas, in factis turpitudo: in vita intemperantia appareat: optimo iure illi virtuti primus locus est dandus, quâ

plurimùm antecellimus beſtijs, quæ ſolo appetitu mouentur. Etſi enim illa virtus, quæ in veri inueſtigatione verſatur, diuinam naturam quàm proximè attingit: tamen ſi tantillum vir prudens temperantiæ & modeſtiæ fines tranſilierit, actum eſt de Prudentia. Quomodo enim vir prudens vere haberi poteſt, qui in ſua vita inſtituenda à Temperantis officio diſcedet? Vmbram in illo prudentiæ inuenire nemo poteſt, qui temperantiam & modeſtiam non conſectabitur. Nam quis fructus

poteſt

poteſt eſſe hominis inanem prudentiæ gloriolam aucupantis, ſi quæ in ſapiente maxima ſunt; eadem aut libidine deprauari, aut luxuriâ corrumpi patiatur: in quo neque mens, neq; manus, neque pedes ſuo officio fungi poſſunt? Belluarum hæc ſunt, non prudentis, ratione vtentis.

At Temperantes & ſobrij, cum illa aſpernantur & fugiant, in quibus turpitudinis illecebræ continentur; quibus mentis error adſciſcitur, & corpus rebus gerendis effætum traditur; ſemper ſibi conſtant;

nunquam libidinosi, nunquam temulenti, nunquam delitijs capti : nunquam voluptatum blanditijs irretiti : semper frugi sunt, pleni pudoris, pleni pietatis, & moderatam in omni re seruant constantiam. Quare qui eam virtutem habet, quam prudentiam vocamus, tantoque maiorem, vt reliquos omnes superasse videatur : si modestiæ & continentiæ præcepta deserat : prudens dici nullo pacto potest, nisi cum ratione insanire dicatur. Atque hoc loco non Philosophicam tantum temperantiam

rantiam ſuo more pertra-
ctabimus: ſed eam, in qua
plurimæ ſunt diuinæ virtu-
tes contentæ. Hæ ſunt le-
iunium, vita', quæ confor-
matione & moderatione
continentiæ & temperan-
tiæ gubernatur: quibus eſt
coniuncta omnium rerum
humanarum deſpicientia.
Hæ non innatæ, ſed datæ,
non adſcititiæ, ſed inſpira-
tæ: non extraduce, vt quæ
corpus alunt ad luxum, ſed
ad modeſtiam reuocant. In
veſtitu moderationem: in
ſermone decorum: in factis
honeſtum: in victu (in qua
omnes reliquæ virtutes

contineri videntur) frugalitatem imperat, quam veteres modeſtiam & temperantiam vocabant, virtutemque maximam iudicabant. Et quia non cum Academicis & Peripateticis, ſed cum Chriſtianis & Theologis res eſt futura: quæ virtutes Diuinæ ſub continentia & temperantia continentur, Chriſtianorum more explicabimus:

Ieiunium. atque de Ieiunio primum dicam, non modo ſacris literis celebrato, ſed optimorum exemplis comprobato, & ſummis laudibus commendatiſſimo. Quantus

tus est leiunij fructus, quanta vis: quantum auxilium; ad animam excolendam: ad motus & appetitus carnis sceleratos sedandos; ad sanitatem tuendam vere & religiose nos docet Chrysostomus: Ieiunium (inquit) est animæ alimentum, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat. Hinc apud maiores nostros viros religiosos & doctos ieiunia instituta fuerunt, vt Christiani paratiores reddantur ad vacandum rebus diuinis. Quare qui gulæ indulgent, & tanquam

ex porcorum grege, conuiuijs epulisque saginantur, quibus intempestiuis & immodice sumptuosis plurimum temporis tradunt: corpus certe animamque diuinis actionibus ineptum reddunt. Libidinosi enim & intemperantes, religionem, pietatem & virtutem non sapiunt: quibus bona omnia ita amara sunt, tanquam mors in olla.

Tusc 5. Quam indigna sunt Christiano illa apud Ciceronem de Sardanapalo decantata carminibus? Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido ausit, at illa iacent multa

multa & præclara relicta. Extat in ſacris pro delicijs immoderati appetitus Achabi memoria, qui vxorem incontinentiæ miniſtrã ad homicidij maleficium incitauit. Nota ſatis eſt hiſtoria, ſed pauciſsimis perſtringam. Dixit Achab ad Naboth, Da mihi vineam tuam, vt auctiorem faciam olerum hortum. At Naboth reſponſum recuſantis cum moleſte ferret, in lectum triſtis ilico ſe coniecit. Huic vxor vt mederi poſſit, Naboth ſummo ſcelere è vita ſuſtulit, vt maritus vinea iniuſte potiretur. In quo

Reg. 1. 21.

quo facto ita auaritiæ crimen cum Deliciarum intemperantis appetitus peccato est coniunctum: & homicidij scelus ita vtrisque occurrit, vt difficilius dictu sit, vtrum in viro auaritiam, potius quam appetitum. In muliere cæcum, in maritum amorem quam in Naboth crudelitatem iustius & grauius accusem. Hoc certe statuo nullum sermonem tam acerbum, nullam pœnam tam grauem, nullum iudicium tam seuerum fingi, excogitari, aut statui posse, quod cum hoc scelere, optimo iure qua-

quadrare non posſit. Insana fuit in illo delitiarum cupiditas: ſed crudelis amor fœminæ, quæ mariti ſatietatem innocentis vitæ antepoſuit. Eſt in appetitu neſcio quod maleficium, quod tanquam venenum, etiam his, qui ſapientes appellantur, ingenium eripit. Eſau ſi appetitum rationi obedientem præbuiſſet: hæreditarium ius, rubro Iuri non poſtpoſuiſſet, quod tam auide exorbere concupiuit. Teſtantur annales, formam Iudith aditum ad Holofernem feciſſe faciliorem: ſed ad cædis opportuni- Gen. 25. 29

tunitatem vinum nimium cæna exhauſtum. Scriptum enim legimus, plus ſolito vini eum hac nocte ingurgitaſſe. Quare facilime vino, ſomno, & ſtupro pleno illi à ceruicibus caput abſcindebatur. Ex quo eſt perſpicuum, quam complicata & implicita eſt vitiorum ſoboles, quæ ita multiplici coniunctione connectuntur, vt mutua communitate ſimul tanquam ex vna radice propagantur. Oculi enim illius incontinentes mulierem ad illum propter formæ venuſtatem pellexerunt, & quia ſine Cerere & Baccho

Baccho friget Venus: vinolentus multa nocte bacchabatur.

Neque in victu solum, continentia, quæ est leiunij optimus fructus, cernitur, sed in dictis & factis spectatur: nam manus & oculos habere debemus continentes. Vnde religiose Psalmista; Auerte oculos meos Domine, ne videant vanitatem. In natalitijs Herodis, si saltantem Herodiadis filiam oculis continentibus Herodes esset intuitus, Ioannem Baptistam, lasciuæ saltatricis rogatu, minime capite mulctasset.

Quanto

Quanto melius Pericles Sophoclis leuitatẽ prętore indignã, pueri pulchri prætereũtis pulchritudinem nimiũ admirãtis, iuſtiſſima vituperatione reprehẽdebat, quod oculos non haberet cõtinentes? Sed iterũ me ad ieiunium conuertam, quod in Temperantia primum locum occupat. Ieiunij cum oratione coniuncti tantus fructus eſt, tam copioſa & fertilis vtilitas: tantum in re priuata & publica emolumentum & commodum, vt ad res magnas gerendas ſiue forenſes, ſiue bellicas, maiores noſtri, homines religioſi,

ligiosi, prudentes, & studiosi, nisi ieiuni, nunquam accederent.

Ieiunium autem aliud est spontaneum & priuatum: aliud publicum, authoritate sancitum & mandatum. Vtriusq; apud veteres vsum fuisse creberrimum fidem faciunt veteres rerum gestarum annales. Spontanei & priuati ieiunij testis est Dauid, qui ægrotante filiolo, quem stupro concepit Berseba, deprecatus est Dominum pro puerulo: ieiunauit ieiunio: & ingressus seorsum iacuit super terram. Testis est Achab,

Ieiunium duplex.

2. Sam. 12. 18.

1.Reg.21. Achab, qui audito Propheta illi sceleris nefarij & truculenti grauissimam & iustissimam pœnam minitante, intrauit in domum suam cum mœrore ieiunans. Testis est vir inprimis pius Propheta Daniel, Dan.9.3. qui ieiunans sacco & cinere indutus, orauit Deum, vt ruinam & interitum populo imminentem auerteret. Luc.2.37. Testis est Anna Prophetissa, quæ vidua in ætate prouecta annorum octoginta quatuor, non abscedebat à Templo, ieiunijs & deprecationibus colens Deum noctem & diem.

Altera

Altera ieiunij ſpecies eſt publica, non minus quam prior religioſa, legitima & neceſſaria. Quæ Authoritate Regis, aut eorum qui ſummũ locum tenent, præcepta & imperata, ſine ſcelere deprauari aut contemni nullo pacto poteſt. Huius generis eſt illud Dauidis occiſo Saul, tum militum ieiunium luctuoſum, acerbum, graue, religioſum, & charitatis pleniſsimum. Pauci enim inuenti ſunt, qui inimicorum mortem triſtes lachrymantur, miſeria commouentur, aut interitũ lugenti. At Dauid Ieiunium publicum.

deuictis & extinctis inimi-
1.Sam.14. cis, vna cum militibus ieiu-
nium luctu, & mœrore, ple-
nissimum, vsque ad noctem
produxit. O præclarũ ex-
emplum charitatis & obe-
dientiæ ! tristis in lamentis
iacens ieiunium Dauid im-
perat, mandato milites pa-
rent vel dicto citius. Maxi-
me memorabilis est illa re-
Ionæ 3. gis Niniuitarum in Ionam
obseruantia, qui Prophetæ
tristissimarum rerum nun-
cio citissime & lubentissime
auscultauit: & edicto ve-
tuit, dicens, Nec homines,
nec iumenta, nec pecora
gustent quippiam: pascan-
tur,

tur, aut bibant aquam. Quo facto placatus Deus, miserrima illa à Propheta prædicta à ciuitate propellebat. Quis igitur non videt ieiunia tam publica, quam priuata, ita Deo esse grata, vt nullum sacrificium solenne & statum illi magis acceptum esse possit?

Minime tamen sentio, quin vnusquisque sibi ipsi ieiunandi modum & tempus possit statuere. At quæ authoritate publica, regis mandato, promulgata & stabilita sunt, vel religionis, vel reipublicæ causa, qui obseruare & retinere

recusant, vel sui nimium sunt amantes, vel certe sunt amentes. Diuinas enim leges & humanas contradicendo reijciunt. Vtinam tamen homines leuiculi, qui ea tantum exosculantur & amplectuntur, quę noua sunt & sua religionis simulatione, vt salubrioris & purioris iudicij reliquis videantur; hæc quę sua sunt reliquerent, in Dei mandatis obseruandis essent diligentiores: & in præceptis Regis negligendis cautiores. Nam qui publicam authoritatem contemnunt, & ad suum arbitrium

trium omnia reuocant & sua ratione omnia metiuntur: non tam in terris imperantis mandatum, quam summi Dei potestatem sceleratissime reijciunt, quorum illud est improbi & imprudentis; alterum impudentis & dissoluti. Turpe enim est, valde vitiosum, hominũ bene imperantium instituta aspernari: at summi Dei præcepta diuina qui non admiratur, tuetur, & pro viribus non colit & conseruat, is dum conscelleratam & nefariam hanc opinionem alit, tanquam immanis bellua ab hominũ

ſocietate citiſſime amoueatur. Sublatis enim legibus diuinis & humanis, nullum eſt regni firmamentū, nullum ſocietatis vinculum, nulla conuentuum aut pactorum ſtabilitas, nullum iniuriarum remedium: iuſtitię propugnaculum certe nullum.

Atq; vt ad ieiunium reuertatur Oratio: Legimus regem Ioſaphat timore perterritū, propter inimicorum copias & armatorum multitudinem, totum ſe conuertiſſe ad Dominū, orantem: & prędicauit ieiunium vniuerſę nationi. Quare ſi quę-

2. Paral. 20.3.

quęcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vtinam qui ſalubrioris & purioris iudicij reliquis ſe profitentur, obtemperarent & obedirent magiſtratibus, neque pro ieiunio conuiuium pararent, his pręſertim diebus, in quibus conuiuari legibus eſt interdictum. Neſciunt inſani, neſciunt, qui legibus abſtinentiam imperari nolunt, quantum à ſacris literis, religioſorũ pręceptis, optimorũ exemplis aberrare ſe ſinunt. Cenſenda igitur eſt, & corrigenda hæc nouorum hominum opinio,

nec committendum, vt de ieiunij antiquitate, potestate, & necessitate paucorum amentia quidquam detrahi videatur, nam siue diuinis, siue publicis, siue priuatis rebus animum applicemus: ad omnes animę actiones obeundas, ad corporis officia exequenda, ad cœlestium rerum considerationem contemplationemque nos faciet paratiores. Sed ad exempla veniamus. Teste enim Angelo Raphael, tanto est oratio gratior, quanto est cum ieiunio coniunctior [emollit mores, nec finit esse feros]

nam

nam carnis terit ſuperbiam potus cibique parcitas. Etſi enim abſtinentia, quę ieiunij pars eſt maxima, hominemque ad bene orandum faciet promptiorem : tamen niſi ſpontanea ſit, non coacta, vera, non ficta, in hominum gratia aucupanda occupata, religioſiſsime Dei cultui deuota, Deo placere nullo pacto poteſt. Primum igitur cum à cibo & potu abſtinere in animū inducas tuum : opera tenebrarum remoueantur : inimicitiarum ardores coerceantur : effrenatæ & inanes cupiditates (quę nihil

deſi-

desiderable concupiscunt) rationi obtemperent, vt bona opera propagentur. Quam fuit religiosis indignum illud Ieiunij genus, in quo à carne, pisce, lacte, & quis abstinentes homines docti, ad mensas vino, epulis, & delicijs lautissime instructas accedere non recusabant: in quibus maior est quam in alijs cibis luxuriæ significatio, maior ad libidinem stimulus, maior ad crapulam, & suauior inuitatio? Epicuris hæc fuit digna abstinentia, non Theologis. Absit, vt hoc modo ieiunij commodis illudamus,

mus, quo nihil Christiano dignius, nihil in sacris laudabilius, nihil ad animę & corporis salutem tuendam conducibilius, excogitari potest. Hęc cum sint maxima, assequi nullo pacto possumus, nisi ad ieiunium Oratio accesserit, qua, tanquam extensa manu, oblatum Deo labiorum sacrificium porrigimus, & gratiam à Deo gratis datam attrahimus. Oratio.

Danda igitur opera est, vt vere si ieiunare velimus, orationi inuigilemus diligenter. In qua prima lex sanciatur: vt fide nitatur; altera,

altera, vt res turpes non rogemus. Tertia in petendis, vt noſtra optio Dei voluntati obſequatur & pareat. Quarta, vt ſi quæ rogamus non aſſequamur, Deo pertinaciter infenſi non ſimus.

Magna profecto eſt Orationis vir, ſiue vt potiamur quę concupiuimus: ſiue vt ea propulſentur, quę nobis nocitura veremur.

1.Sam.1.7 Anna vxor Elcanæ, cum propter ſterilitatis offenſionem, ab æmula, ignominioſa quædam pateretur: lachrymis profuſis obnixe à Deo contendebat, vt ſui miſe-

miſereatur, & ſterilitatis opprobrium auferret. Exaudiuit eam Dominus, & grauida facta matre, ſaluo partu, pater auctus eſt filiolo. In ſumma caritate annonæ propter pluuiæ defectum, regnante Rege Achab, cum non tam caritas, quam fames, & inopia ingraueſceret, Elias Propheta pluuiam copioſam à Deo exorauit, qua impetrata, facta eſt ſalus Regi & populo Nota ſatis eſt Abrahami Hiſtoria. Is cum ſolum mutaret, meridiem cogitans regnum Regis Abimelech diuertabat, quo caſu

1. Reg. 18. 44.

su factum est, vt rex, Saræ pulchritudine & formæ captus mulierem Abrahami vxorem ad se pellicere conaretur. Hoc facto commotus Deus, fœminarum omniũ, tam Reginæ, quam ancillarum vteros conclusit; sed orante Abrahamo omnes sanæ factę sunt. Ponamus (obsecro) ante oculos, Annæ, Eliæ, & Abrahami exempla: quorum preces si diligenter obseruemus, nihil in his propositum aut auditum reperiemus, in quo fidei, deuotionis, & charitatis significatio non elucet. Anna sororiæ

roriæ fœcunditatis æmula, vt ſterilitatis ſcandalum vitaret, precabatur Dominum. Filij enim & fructus ventris ſunt Donum Dei. Elias, vt famem depelleret, cum prece & obſeruatione humili ac ſupplici vteretur, quod voluit impetrauit. Domini enim eſt terra & plenitudo eius: ipſe dat eſcam omni carni: & per eum tam volucres cœli, quam animalia terreſtria, paſcuntur. Abrahamo, vt regis familiæ ſterilitate laboranti, mederi potuiſſet, in precibus & optatis occurrebat Deus. Quare ſi eorum exempla

empla imitari velimus, adhibenda est cura & cogitatio, vt petenda religione metiantur, fide promoueantur, Dei gloriæ deuoueantur, & ad charitatis societatem referantur: quibus neglectis, omnis impetrandi spes tollitur. Atque hoc etiã in precibus maxime vitandum est, de quo non est facile præcipere; ne temereaut inconsulte ad orandum accedamus: ne quid turpe rogemus, quo ad luxum abutamur; aut quod ad nostram concupiscentiam explendã conducat: sed quod ad Dei gloriam

riam illustrandam, & amplificandam conducat & valeat.

Cum Deo sermo est futurus in solio sedente Angelorum illustrissimo cœtu stipato: cœlestis splendoris fulgore collucente; qui omnia videt, omnia perlustrat, & intima cordis perscrutatur. Quare qui cum illo Deo omnipotente rem habere statuet: caueat vt à corde exulet impietas: à dictis leuitas; in gestu humilitas & obsecratio cernantur. Inuenti autem multi sunt; qui cum illa Diuinę misericordię plenissima au-

passos audirent; dixerunt, Domine, vis dicamus, vt ignis descendat è cœlis, & consumat eos? Conu[illegible] autem Iesus, obiurg[illegible] dicens; Nescitis [illegible] ritus vos estis. I[illegible] stolis potuit co[illegible] charitatis obliti[illegible] inexpectatum al[illegible] teritum & exitiu[illegible] rent, quid de alijs put[illegible] debemus? qui leuissimis de causis execrantur, & quasi mala precantur, si optatis suis omnia non occurrant? Apostolos autem Christus tam seuere in alios statuentes acerbe increpuit, & eorum

eorũ inconsiderantiam corrigebat : quod profecto nunquam feciſſet, niſi ſibi ingratam, illis indignam, [illegible]caſſet.

[illegible]orandum igitur eſt, ad precandum, ad optandum, ad execrandum s: ne carnis ſtimu-ati & commoti, pie- & charitatis præcepta deſeramus. Quare vt ad bene precandum ſimus aptiores, ieiunio corpus eſt caſtigandum : animi appetitus rerum diuinarum meditatione, ne à pietate deflectant, dirigendi : cogita-

diuerint; Petite & dabitur vobis: pulsate & aperietur; quisquis enim petit accipiet, & qui quærit inueniet: homines impudici & audaces ad orandum prosiliunt proterue; obliti Dei maiestatis, omnia promiscue petunt, & pene nescij quid velint. Horum optionibus nisi fuerit satisfactum, in Deum concitati & infensi, conuitia & blasphemiã in Deum excogitantes, incusationibus, querelis & maledictis (tanquam furiæ) ipsum insectantur: sed nesciunt excordes, & ignari, cum diuina potentia esse coniunctam pru-

dentiam, cum prudentia iuſtitiam, cum iuſtitia miſericordiam. Quare prudens, quæ nobis profutura ſunt, cognoſcit: & quia iuſtus & miſericors, ad noſtram pernitiem & interitum exorari ſe non ſinet. Neq; nouum aut inauditum videri debet, homines plebeios, aut minoris ſcientiæ viros, ad ea petenda præcipites ferri, quæ minime cum Dei voluntate aut charitate conueniunt: ipſi enim Apoſtoli, Iacobus, & Ioannes, cum ſocios Hieroſolymam à Chriſto præmiſſos, vt hoſpitium pararent, repulſam

passos audirent; dixerunt, Domine, vis dicamus, vt ignis descendat è cœlis, & consumat eos? Conuersus autem Iesus, obiurgauit eos, dicens; Nescitis qualis spiritus vos estis. Hoc si Apostolis potuit contingere, vt charitatis obliti subitum & inexpectatum aliorum interitum & exitium optarent, quid de alijs putare debemus? qui leuissimis de causis execrantur, & quasi mala precantur, si optatis suis omnia non occurrant? Apostolos autem Christus tam seuere in alios statuentes acerbe increpuit, & eorum

eorũ inconsiderantiam corrigebat: quod profecto nunquam fecisset, nisi sibi ingratam, illis indignam, iudicasset.

Elaborandum igitur est, vt caute ad precandum, prudenter ad optandum, nunquam ad execrandum veniamus: ne carnis stimulis excitati & commoti, pietatis & charitatis præcepta deseramus. Quare vt ad bene precandum simus aptiores, ieiunio corpus est castigandum: animi appetitus rerum diuinarum meditatione, ne à pietate deflectant, dirigendi: cogita-

tiones ita in rerum cœleſtiũ meditatione exercendæ: vt in geſtu & actione humilitas propter Dei maieſtatem, in Oratione, diligens attentio: in ſpe, confidentia; in fide, conſtantia retineatur.

Vltimo loco monendi ſunt, vt qui orent, ſi optatis Deus non reſpondeat, nec animo ſint demiſſo, nec in Deum offenſo, ſed Dei voluntatem patienter expectent, non repugnanter.

2. Sam. 12. Dauidi, cum ægrotum filiolum mœrore & ieiunio triſtiſsime lugeret, tanta acerbitate, vt ſpreto ſeruorum

rum consilio, in maximis luctibus vsque ad septimum diem permaneret, nec in filium amor, nec in Deum fides defuerunt; tamen filij salutem nec exorauit, nec Deo succensuit: sed mortuo filio, luctum & lachrymas abstergebat. Hoc est religiose lugentis facere, quod ipse fecit. Perspecto enim Dei decreto, nec contradicendi, nec irascendi tempus est: cui non parere, quid aliud est quam Gigontiũ more bellare cum Dijs, vt est in Prouerbio? Religiosus fuit in Saulem Samuelis amor, qui ipsum

regno eiectum ita adamauit, vt per plurimos dies orando à Deo contenderet, vt illi inobedientiæ delictũ ignoſceret, tantoque ſtudio cum Deo egit, vt non prius deſiſteret, quam illi à Deo interdictum fuit: quo audito, mandato obtemperabat, & religioſe dicto paruit. Vtinam qui præter modum in luctu & lachrymis ſunt profuſiores, ſi quid aduerſi acciderit, vel amicorum morte, vel diuitiarum deperditione & iactura, non ad caſum, aut fortunam, ea reuocarent, ſed ad Dei voluntatem, & male actæ vitę

pœnam,

pœnam. Dominus quos amat castigat.

Nec minus inepti sunt, qui Dei in annuendo tarditatem cum incusatione & murmure reprehendunt, & illi, penes quem est omnis potestas, & prudentia, agendi, largiendi, & audiendi modum & tempus statuunt. Nunc de ieiunio & oratione satis est dictum: quare quæ de Temperantia supersunt dicenda explicemus. Qui eos solos intemperantes sentiunt, qui ciborum delitijs & varietate se oblectant, valde errant: nam qui ludis & iocis præter

modum

modum delectantur, & tanquam ſummum bonum colunt & admirantur, non minus quam Epicuri intemperantes haberi debent. Quique ſe libidini deſidiæque dedunt, in intemperantium numero cenſendi ſunt.

Qui aues & canes ita alunt ad venandum homines inferioris ordinis, vt rem ſuam familiarem et domeſticam negligant, aut diſſolute profundant; non minus quam temulenti, ebrioſi et mulieroſi temperantiæ præcepta reijciunt. Non enim eſt committendum vt

quæ

quæ ad familiam alendam sunt instituta & comparata necessaria, eadem ad canes, tauros, vrsos aut alias bestias voraces pascendas conferantur. Inuenti tamen sunt homines, qui his rebus ita delectãtur, vt vxoris, filiorũ, et familię obliuiscantur: qui dum illis fruantur, reliqua negligant: et voluptatem, tanquam nouam Deam confingentes, colunt. Sed vt Intemperantiæ incommoda fusius explicentur, placet quorundam exempla recensere eorum, qui in victu, vestitu, apparatu, lautitia, elegantia, summã fœlicita-

licitatem esse prædicabant: quis talia fando temperet a lachrymis? Ex Dyonisij assentatoribus Damocles, Tyranno cui nihil ad bene beateque viuendum deesse putabat, in sermone copias, lautam et splendidam suppellectilem, omniaque in ædibus ad voluptatem sumptuose, et exquisitissime comparata commemorat. Qui cum iussu Regis ea degustasset, et imminentis gladij aciem extimescceret, dixit Tyranno, se eo modo diutius beatum esse nolle. Etsi enim sit in ijs aliquid, quod intemperantis animum

mum aliciat, est tamen cum voluptate coniuncta satietas. Quare qui luxuriæ erratis implicari et irretiri se sinunt, etsi in principio tanquam fœlicitatem eam satis amari et coli non posse putant, tandem experti, aut morbis correpti, aut belluarum modo in luxu senescentes, turpissime moriuntur. Næ ego eum hominem iure reprehendendum sentio, qui inchoatam à se lautitiam posteris relinquere, quam à maioribus acceptam continentiam retinere maluit. Blandum certè hoc malum est, cui mederi

mederi nemo poteſt, vitare pauci volunt. Quotus enim quiſque reperiatur, qui aut iuuenis delitiarū amore non ſemel inſaniuit, aut ſenex non delirauit?

Ebrietas. Altera ſpecies eſt intemperantiæ Ebrietas: quod quidem peccandi genus, tanquam lues publica, ita ingraueſcit, vt propter delinquentium in hoc multitudinem, virtutis nomen induere videatur. Huius tanta ſunt incommoda viro bono indigniſsima, vt ſi ſingula enarrando recenſere velim, tam dies, quam vox deficeret.

Quod

Quod enim ſcelus tam tetrum, infeſtum, & immane? tam nefarium, & truculentum? tam denique deteſtabile excogitari poteſt, ad quod ſuſcipiendum temulenti præcipites non feruntur? Ebrietati enim duci omnia vitia famulantur. Hinc amicorum propter cauſas leuiſsimas in conuiuijs ſubitæ interneciones: perditiſsimorum hominum diurni & nocturni, intempeſtiui conuentus: ad ſtupra conficienda conquiſitæ opportunitates: propter libidinis immoderatam appetitionem inauditæ pollicita-

licitationes: ad ſacra denique (quæ ne cogitatione violare fas eſt) polluenda impudens, furioſa, & demens audacia. Tabernis egreſsi nihil cogitant, niſi cędes & rapinas. Cumque prius ſua profuderint, poſtea fide deficiente, rem aliâ aggrediuntur viâ. Nam cum fortunas ſuas abligurierint, ſolum mutant: & ſoluendo cum non ſint, ſponſoribus nuntium remittunt. Quid dicam? Omnia ſpurce, ſuperbe, impudēter dicta aut facta proferūtur, in dictis impudētia, in factis ſe effert impudicitia.

O morem

O morem præclarum, & disciplinam maiorum, qui puerulis ebriosos, tanquam spectaculum miserum & inhumanum monstrare solebant, vt ipsi immanissimo & fœdissimo hoc monstro perterriti, ab ebrietate tanquam à bestia vastifica profugerent.

Huic intemperantiæ speciei illam adiungam, quæ in amictu & corporis ornatu cernitur. Atque in hoc duplex vitium est: horum vnum in forma; alterum in sumptu est. Aut enim homines nimis effœminati & molles in vestibus, vestitus

Vestitus.

muliebris modum & formã appetunt: aut in ſumptu tantas pecunias profundunt, vt exhauſtis loculis, ære alieno graui laborantes clam ſe ſubducant. Neque id quidem mirum. Tanti enim ſunt huius vitij miniſtri, vt quotidie aliquid nouitatis & vanitatis adiectum ſit. Veſtes, non annis, aut temporis diuturnitate ſunt contritæ, ſed cultris ſutoris veſtiarij, aut ſciſſorum conſciſſæ ſunt. Verentur enim ne quo caſu eueniat, vt in veſtibus conſeruandis ſi nimis frugi fuerint, male audirent. Quare non ad caloris

caloris aut frigoris iniurias propellendas aut neceſsitatem, aut ad ornatum decorum ſunt compoſitę, ſed ad eligantiam affrabre factæ, non ad munditiam & frugalitatem comparatæ, ſed ad luxum & libidinem excogitatæ. Thoracibus & manicis vtuntur feneſtratis, neſcio an ad linteorum magis oſtentationem, quam ad cordis refrigerium vino vel Venere excalefacti: opportunus certe hic locus eſt, vt de fœminarum in veſtitu varietate multiplice, formæ & figuræ nouitate, ad cutis venditationem artificioſe

excauatæ, ſumptu immoderato, plura vel certe infinita dicerem, ſed parcatur ſexui.

Inter cætera hæc eſt huius ætatis lues, religionis ſcandalum, gubernationis macula: quod viri muliebri pene induti veſtitu, fœmineos colunt mores: & mulieres veſte amictæ virili, tanto ſe fœliciores venditant, quanto ſunt à muliebri modeſtia remotiores. Liui. Si ad hæc tempora eos natura ſeruaſſet, qui Scipioni vitio vertebant, quod pallio & crepidis vſus eſſet; & nunc eſſent nati; quid de

eis

eis censerent, qui calceos fibulis aureis magni pretij connectendos curant. Horum pluribus certe gratulor, quod calceos gestant auro micantes, crumenas nec auro, nec argento graues. Quanto melius Socrates, qui calceis Sycioneis non vsurum se dixit, quamuis essent habiles atq; apti ad pedes, quod non essent viriles. Vtinam plures essent Socratici. Licet eadem de alijs vestibus dicere, in quibus habitus varietas animorum inconstantiam prodit. *Cic. de Orat.*

Etsi Diuitis in Euangelio

auaritia criminibus pluribus erat coniuncta & copulata: tamen eius in cultu & victu præter cætera est commemorata luxuria sacrarum literarum hæc est
Luc. 16. 19 series. Quidam erat Diues, qui induebatur purpura & byſſo, & ſeſe oblectabat quotidie ſplendide. Videatis aperte cum pretioſi cultus ſumptu immoderato coniunctam mollem & delicatam vitam, in vtriſque præter modum intemperantiam. Veſtes pretioſas ſolis aulis regijs fuiſſe proprias teſtatur Chriſtus. Nunc autem in aula, & caula,

caula, ita omnes promiſcue omnibus vtantur, vt ſi veſtium ſplendore perſonas dijudicare velimus: iniqui certe futuri ſimus hominum æſtimatores. Ita non modo nunc colorum varietate, ſed delicatæ materiæ elegantiâ, & raritate, compoſitionis nouitate perturbatâ & confuſa ſunt omnia, & tantum eſt in res vanas pecuniæ impendium.

Nec minus eſt in ſermone quam in factis intemperantię malum: corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Nam animi vitiofi & corrupti nullum

maius indicium esse potest, quam in verbis turpitudo: qua audita, magna significatio fit non adesse continentiam. verendum igitur est, quod qui alios ad ludum & iocum illiberalem conducunt; aut aliorum facta libidinosa ad cantus & tibicinem persequi gaudent, suorum scelerum tanquam prœconio testes complurimos colligunt. Nunquam enim orationis obscœnitas petulantia vacat. Vnde illa Oratoris verissima: Verborum obscœnitas, si turpitudini rerum adhibeatur, ludus ne homine quidem

Orat.

quidem libero dignus est: quæ siue in re sit, siue in verbis, flagitium certe est. Optime meo iudicio Massilienses, cum nullum aditum in scenam futurum statuebant: quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continet actus. Exulet etiam illiberale omne, petulans & flagitiosum iocandi genus, in quo si recte sentire velimus, nec facetiæ sunt, nec sal, nec lepos. Turpi enim cantu alios ad risum mouere nec boni viri est; nec moueri continentis. Est enim immoderatus & frequens risus comes leuitatis. *Val Ma.*

uitatis. Verendum etiam eſt, ne quæ in publicis aut priuatis congreſsionibus eſt audita verborum vanitas & malitia, multas præbeat ad peccandum illecebras. Etſi enim verborum nitore, & loquentis in vultu ſimulata conſtantia tegatur, re impudentior iure reprehendenda eſt. Multorum enim aures ad audiendum allicit, quorum animis ſi radices egerit, fœcundum ſed malitioſum feret fructum: non enim vacat impudica impudentia.

Miſera mehercule eſt eorum conditio, qui omnem in-

ingenij ſui fructum in riſu commouendo conſumunt; quo leuiſsime commoto, tanquam re bene geſta gloriantur. Sed eorum miſerrima, qui appetitu, ludis & iocis, omnia metiuntur: quorum illud eſt beſtiarum: hoc hominum ratione non vtentium. Nam cum ſermo & colloquium (quo homines à feris maxime diſtinguuntur) donum ſit plane diuinum cœlitus hominibus datum, vt quæ ratione & mentis agitatione inuenta ſunt, eorum explicatio ſermone appareat: qui rem tam laudabilem & ex-

expetendam ad rerum petulantium lasciuiam & leuitatem transferunt, belluarũ potius quã hominũ naturã induunt. Est belluis à natura datus rugitus, alijs vagitus, alijs fremitus, alijs sibilus, cantus, & alarum plausus (quibus solis) suos appetitus faciunt nobis notiores. At homini ideo sermo est datus, vt ea, quæ mente & cogitatione concepit, si rem priuatam aut publicam tueri aut augere possint, sermone prolata alijs impertiat, & dijudicanda relinquat. Sermo autem ad alterius voluptatem & volun-

luntatem fictus, si re impudentior fuerit, tantum de sermonis dignitate amittet, quanto est maioris malitiæ particeps & turpitudinis plenior. Quare ea colloquij malitia, qua se prudentem esse & ingeniosum videri quisquam volet, impudicitię labe deformata & inquinata, omnino homine indigna admodum est vituperanda. Pari igitur pœna (meo iudicio) mulctandi sunt, qui aures huiusmodi sermonibus patentes præbent cum his, qui ad aliorũ voluntatem immunda & lasciua loquuntur.

Quid

Quid enim est libero homine indignius, quàm vocem ad risum & ineptias habere venalem? quare qui boni viri nomine gaudet, temperantię præceptis & institutis, ingenuis artibus & morum probitate vitam instructam agat. Et quoniam hominum societas inter homines ideo à Deo est constituta, vt mutuis officijs amicitiam alant: in eis deligendis cauti esse debemus, quibuscũ societatem communitatemque obire volumus. Vt enim in sole obambulantes, à sole colorantur, etsi non obambulant vt coloren-

lorentur: ita qui in hominum conſortio & communitate deligenda aberrabunt, eorũ mores in victu, veſtitu, in dictis, & factis imitantur, quibus cum viuunt: fit enim neſcio quo fato, vt citius animi hominum, improborum exemplo ad delicias, languorem, deſidiã, libidinem, & ebrietatem rapiantur: quam ad proborũ hominũ præcepta ducantur, quę ad probitatem hortantur. Nec vnquam eſt cõmittendum vt bona deliquiſſe, contraria retinuiſſe videamur.

Prudentiæ.

Prudentiæ.

Prudentiæ
- *Differentia à sapientia.*
- *Subiectum, veritas.*
- *Commodum in priuatis & publicis.*
- *Vis maximè cernitur in temperatis corporibus benè compositis.*

APtissime libri Sapientiæ Author prudentiam medio loco collocauit inter Temperantiam & Iustitiam. Nam cum animę dotes, mores siue actiones & facultates, corporis

temperamentum ſequantur: cumque Temperantia omnes corporis partes, quales accepit, tales tuetur & conſeruat; vt animæ mandato ſubſeruiant: cumque corpus bene diſpoſitum facit, vt omnes animæ functiones melius ſe habeant: prudentiam appetenti corpus eſt optandum ſingulis animæ muneribus accommodatiſsimum. Nam cum eadem ſit ſpecie in omnibus anima, ex ſolo corporis temperamento & organorum fabrica, magna oritur ingeniorũ differentia, voluntatum diſſimilitudo,

tudo, mores dispares & dissimiles sequuntur.

Temperamentum cum dicam, non cum imperitis quiddam ex qualitatibus primis actiuis vel passiuis ortum intelligo: sed eam elimentorū commistionem quæ est ad iustitiam, quę ad singulas partes conformandas & gignendas est apta & habilis. Atq; hic est ille substantiæ modus, hæc occulta facultas: hoc meritum materiæ à quibus omnes actiones fœlicius prodeunt. Neque mirari quisquam debet, si cum vna sit specie in omnibus anima, tam contra-

rios esse in hominibus appetitus, tam diuersa studia: tam varia ingenia: tanta in alijs ad virtutem procliuitas: tanta in alijs ad vitia propensio: tanta ad res gerendas facilitas & celeritas: tanta tarditas & stupiditas. Ipsa enim anima pro organorum quibus vtitur compositione & temperamento, multiplices & varias edit actiones. Quod vt apertius & facilius eluceat: ponam vobis ante oculos vnius Animalis facultatis actiones magnas & plurimas: quas secundum, in parte qua vtitur, materiæ meritum

tum & ſtructuram, profert & demonſtrat. Eadem enim facultas eiuſdem animæ eſt, cuius vi & proprietate oculus videt & colorum varietatem dijudicat: lingua guſtu rerum diſcrepantiam in ſapore diſtinguit: auris vocem ad miſerabilem ſonum inflexam, ad gaudium elatam percipit. Atque harum partium omnium actiones cum ſola animalis facultatis vi nitantur, & in actum producantur, tanto ſunt perfectiores, quanto in his conformandis minus natura aberrauit, & materiæ meritum, ela-

boratum magis est. Licet eadem de animæ rationalis impetu dicere: etsi enim eam cœlitus delibutam habemus, per se consilij rationisque participem, tamen nisi corpus nacta fuerit, cuius partibus recte compositis & dispositis fruatur, dignitatis suæ amittet plurimum: ea enim est animæ cum corpore reciproca sympathia: vt animam corpus sequatur in suis actionibus, anima vero corpus in suis passionibus: fit enim nonnunquam, vt opus bene à natura institutũ, tanquam optimo architecto materialis

alis cauſæ defectu vel malitia mancum & imperfectum exeat. Hinc ſenſus in alijs acriores, in alijs hebetiores: aures teretes, oculi caliginoſi, guſtus deprauatus, odoratus ſubtilis, tactus integerrimus vel obtuſus. Quare ſi natura corporis effectrix, quod propoſuit non aſſequatur, & corpore compingendo materiã arripuit incoctam minime præparatam: neceſſum eſt eas animæ dotes futuras imperfectas & debiles, ſi partes his muneribus & officijs deſtinatæ & deſponſatæ fuerint imbecilles: &

forma, vel materia, defecerint. Placuit certe Galeno medico primario Naturam omnibus aptum moribus animæ & facultatibus corpus dediſſe : fit tamen nonnunquam, vt anima in partibus corporis naturæ erroris particeps in ſuis actionibus deficiat. Hæc ideo à me dicuntur, vt omnes intelligant quam caute & diligenter, quam prudenter, & ſobrie, corpus alere & conſeruare debemus (in quo prudentiæ vis maxime valet) niſi animæ dotes diuinas & admirabiles in corpore male gubernato obſcurari

ſcurari & tanquam in cœno demergi velimus. Sed veniamus ad prudentiã, quam viuendi artem Cicero ſtatuit, quam ſi ſequamur in victu, non aberrabimus; multi enim imprudentes corpus bene inſtitutum rationis obliti, omnibus actionibus animæ & corporis ineptum faciunt: iniurioſa hæc eſt, & facinoroſa in Deum & hominem vitæ ratio.

Nunc vt prudentiam accuratius pertractemus indagandum ſentio, num quam nos prudentiã, eandem, ſapientiam appellemus.

mus. Eoq; diligentius quod vtroque verbo vſus eſt A-
1.Cor.1.19 poſtolus Paulus? Sapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum è medio tollam: σοφίαν τῶν σοφῶν ἀ συνέσιν τῶν συνετῶν. Apoſtolum qui cum materię grauitate verborum copia & eloquentia diuina cumulatiſsime floruit, tautologiæ reum eſſe, nefas eſt dicere: quod profecto faciunt, qui harum vocum differentiam è medio tollunt. Sed præclare vir inprimis doctus Theod. Beza ita has voces diſtinguit, vt quam nos σοφίαν, in rerum contemplatione: aliam

Differentia ſapientiæ & prudentiæ.

liam in actione versari velit. Vere igitur Apostolum à tautologię suspitione & offensione vindicauit. σοφία autem vocabulum ita late patet, vt apud veteres omnis generis periti artifices σοφοὶ dicerentur. Atque hoc loco eam sapientiam Apostolus reprehendit, qua Sophistæ cum ab agendo desisterent, in dicendo elaborantes, oratoria facundia in rebus forensibus vterentur. Sed in his vocibus distinguendis minime à proposito aberrabimus, si Ciceronem audiamus. Princeps omnium virtutum est illa

illa ſapientia, quã σοφίαν Græci dicunt: Prudentiam enim quam φρόνησιν vocant, aliam quandam intelligimus, quę eſt rerum expetendarum fugiendarumque ſcientia. Quare cum ſapientia in rerum contemplatione cernitur: rerum cauſas abditas & occultas inueſtigat, abſtruſa & recondita inquirat, in latentibus & obſcuris è tenebris eruendis tantum laboret: nihil ad hominũ ſocietatem tuendam conducat: huic illa eſt anteponenda, quæ officia iuſtitiæ tractat, ea parat & meditatur quæ conferunt

ad

ad hominum vtilitatem. Eſt autem hæc virtus prudentia: ea enim lege nati ſumus, vt homines hominibus prodeſſe poſsimus. Quare vt ſapientia tantum eſt rerum Diuinarum & humanarum ſcientia illis tantum profutura quibus cordi eſt: ſic prudentia eſt rerum bonarum & malarum, expetendarum fugiendarumque, & nec bonarum nec malarum rerũ ſcientia omnibus profutura. Nunc cum de eis virtutibus dicendum ſit, quarum fructus ad plurimos ſit peruenturus, de ſapientia plura dicere ſupersedebo:

ſedebo: atque ad prudentię
prȩcepta & commoda me
conuertam.

Quis eſt neſcius in omnibus rebus opportunitatem temporis valere plurimum, ſiue in pace viuatur, ſiue bella geramus, ſiue in domeſticis, ſiue publicis agas quid? tempus enim occaſionis opportunum diligenter ſemper eſt obſeruandum, quo aut negligenter omiſſo, aut diſſolute neglecto, periculum certe eſt ne in deterius res omnes abeant. Huic malo vt mederi & occurrere poſsimus docet prudentia. Eſt enim

ſcientia

ſcientia opportunitatis ad agendum temporum. Huius primum munus eſt inuentio veri, qua nihil laudabilius, nihil cum virtute coniunctius. Eſt enim veritas prudentiæ ſubiecta, tanquam materia quam tractet. Eſt autem veritas duplex. Vna in rebus diuinis: altera in humanis. Cauendum autem eſt in rebus Diuinis iudicandis, ne hominis ſolius rationem ſequamur: neque id ſpernamus, cuius rationem hominis ingenium inuenire non poteſt: periculoſum etiam eſt in his nimis altum ſapere.

Primum munus prudentiæ.

Veritas duplex, ſubiectum prudentiæ.

Quare

Quare qui verum in Theologicis ſcire expetit, ſacras literas legat cum diligentia: Interpretes audiat cum reuerentia, oret cum abſtinentia, credat ſine diffidentia. Non enim ex traduce hauſta eſt iſta cognitio, ſola gratia tradita, precibus exoranda, cœlitus demiſſa. In ijs quæ ad hominem ſpectant tum ad verum ipſum magna parte, aut quam proxime accedemus, cum quę faciẽda aut non facienda ſunt, ratione inuenimus. Cumque veritatem elicere ſtudeamus minime eſt committendum vt contentionis cupi-

cupidiores, quam veritatis videamur. Impedit Ira animum ne possit cernere verum. Nam qui ad veritatem indagandam iratus accedit: aut iudicium factum domi licet ratione vacet, tanquam verum tueri & defendere contendet, oblitus veritatis inuentionem, prudentiæ esse munus proprium, non Iracundiæ, quæ est inimica consilio: is si toto cœlo à veritate aberrabit, mirũ nemini videri debet. Vt enim oculi hominum caligine conturbati sæpissime mentiuntur: ita mentis acies cui perturba-

tionum offusa est caligo hebetior est ad vera diligēda, reijcienda contraria. Quare cum ars in hac re certior est quam natura, rationes dat & præcepta faciendi aliquid, & quasdē in faciendo non errare patientes, vias: quare artiū studio est incūbendum: tum in primis Philosophiæ & dialecticæ, quarum altera te scientia augere potest altera iudicio.

Altera res est in qua prudentia versatur: nempe cum decorum ita gubernet, vt in eo moderatio & temperatio appareat. Atque in hoc multi vehementer errant.

rant. Aut enim in obſeruantia ab alijs expectanda & exigenda nimium ſunt elati vnde ſuperbi vocantur: aut nimis ſunt ſubmiſſi (quod eſt hominum perpaucorum) vnde demiſsi & minus generoſi iudicantur. Quæ ætas de Cn. Pompei ſuperbia, faſtidio arrogantiaque inaudita inſolenti & immani cõticeſcet qui amicum Hypſeum contumelioſiſsime exceptum ante pedes proſtratũ pedibus conculcauit? O factum arrogans & immane! Satis ſuperba fuit illa Xerxis ad Aſiæ Principes oratio.

Plut. in vita.

Prudentia docet bonos mores.

audacia poteſt conſiſtere. Vera fuit & ſumma laude digna Horatij Coclis tum aliorum fortitudo, qui Republica poſtulante, ſe periculo mortis committere non metuebant: quorum certe mors patriæ deuota,& tanquam hoſtia conſtituta, ſummam veræ fortitudinis gloriam & laudem meretur. Qui vero temulenti & temerarij in armatas hoſtium copias irruunt,nullo conſilio aut ratione ducti, etſi hoſtium impetus & exercitum perfringunt, fortunati magis quam prudentes,fortes mehercule minime cenſendi

ſendi ſunt. Nihil enim eſt magis à fortitudine & magnanimitate alienum, quam præceps & cæcus amentiæ & furoris motus: turbulenta enim & temeraria omnia cum periculo non careant, in ſortem cadere nullo pacto poſſunt; qui omnia grauiter, prudenter, ſeuerè, & conſtanter agit. Atque illa actio quæ aduocata iracundia fit, aut fortis omnino non eſt, aut certe rabioſa. Satis enim eſt per ſe inſtructa, armata, & parata, vera fortitudo: de eius dignitate & ſplendore multum detrahunt, qui Iram

cotem fortitudinis audent
Plut. prædicare. Quis Ca. Cæ-
ſaris ancipitem conatum,
qui ſerui veſtimento indu-
Val. Max. tus, ſuam maieſtatem oc-
cultabat, & temere nauem
conſcendebat, & ſubito in
altum delatus, nauigij in-
fœlicem pertulit exitum,
tanquam rem bene geſtam
agnoſcet? Temeritatis va-
rij ſunt & ſubiti impulſus,
quorum ictibus hominum
mentes concuſſæ & occæ-
catæ, nec ſua pericula de-
ſpicere, nec aliena facta iu-
ſta æſtimatione proſequi
poſſunt. Quare quæ te-
merè aut nullo conſilio ad-
mini-

miniſtrantur, eadem tanquam bene & prudenter, aut fortiter facta, aut magnanimo digna qui admirantur, & re probant, iniquiſſimi ſunt magnanimitatis Iudices. Nunquam enim temeritas eſt ſapientiæ comes. Luc. Iunium: & Pub. Claudium conſules, quod contra auſpicia temerè & infœliciter nauigarunt, omni ſupplicio dignos ſenatus populuſq; Romanus iudicabant. Quod ſi in illos qui contra auſpicia negotia ſuſcipiebant, ſpreta maiorũ conſuetudine, tam acerbè ſtatuebant, vt gra-

uiſſima pœna caſtigandos cenſerent: quę ſatis exquiſita pœna in illos excogitari poteſt, qui inconſideratiſsimæ & dementiſſimæ temeritatis pleniſsimi, ſpreto Dei prȩcepto, neglecto Regis mandato, deſpicata legum authoritate, ob leuiſſimas cauſas imprudenter ad arma, ad cædem, ad homicidium rapiuntur. Vt in rebus bellicis, quæ Reipublicę cauſa fiunt, odioſa & periculoſa eſt temeritas, & in ſingulari certamine grauiſſima non vacat culpa: ſic in laboribus perferendis, qui ſpectant ad publicum ſiue pri-

priuatum, omnis animi propensio ad agendum parati, si rationi & consilio non pareat, stultitia, & amentia potius est habenda, quam patientia, aut laboris cum consilio tolerantia.

Neque eos in fortium virorum numerum adscribendos arbitror, qui capite & vita ob scelera mulctati, intrepide, audacter, & imprudenter ad suppliciũ accedunt, nulla pœnæ acerbitate aut mortis formidine perterriti: In his obstinationem, pertinaciam, & impudentiam agnosco, non animi constantiàm aut fortitu-

dinem. Mirari itaque ſatis non poſſum, qua ratione eos tanquam fortes, magnanimos & conſtantes prædicant, qui Regibus violentas manus audent inferre, nulla certè alia ratione, quã quod acerbiſsima pœna huic atroci & immani ſceleri conſtituta, à tanto maleficio non deterrentur. Deteſtabilia hæc, & omni cruciatu digniſsima, omnes boni iudicant. Horũ (neſcio quam) indolentiam qui admirantur, aut laudant, valde errant. Legimus apud Galenum, ſeruum quendam barbarum, vt dolorem pœnę

ab

ab hero inflictæ contempſiſſe videretur, tam diu ſpiritum retinuiſſe, & ab reſpirandi viciſcitudine abſtinuiſſe, vt contento ſpiritu, ſuffocatus interiret. O præclarum moriendi modum, ſcilicet, Barbaro dignum! Si ad hæc tempora eos natura ſeruaſſet, qui à Pyrrho perfugã, qui ſenatui eſt pollicitus ſe venenum Regi daturum, & cum necaturũ, eundem Pyrrho dabant, nec cum ſcelere eius interitum approbabant: quid in eos ſtatuturos putamus, qui non modo Reges clam veneno occidendos, ſed cul-

tris venenatis, in oculis ciuium trucidandos aperte probant? Quibus etiam curę est, vt non modo impune faciant, sed etiam cum interfectoris gloria. Hoccine humanum factum? hoccine consilium Theologis dignum? hoccine charitatis vinculum, aut pietatis documentum? Quorum detestabilia facta omnes oderunt, quos omni cruciatu dignos omnes iudicant: eos in Sanctorum societatem adscribi, quam est à Religione alienum, quam dirum, quam Belsibuticum! O vtinam his esset persuasum qui-

quibuſcum viuimus, hâc vitâ actâ, grauiores poſt mortem pœnas dignas ſcelere eſſe ſubeundas, nec tam alacriter præſentem pœnam ſuſtinerent! Magnum certe fuit illud Romanorum in perfugæ repudiato ſcelere, iuſtitię, & præclarũ exemplum; at hac ætate tam inexplebilis eſt carnificina & crudelitas multorum, vt cum hæc immania & nefaria facinora ſuſcipere ipſi non audeant: alios maximis præmijs conducunt, qui Regũ vitis inſidientur.

Belſebub Hæreticon, & diræ buccina Ditis,

Hæc

Hæc mala sunt vestris impia docta scholis.

Valeant igitur homines impuri, qui religiose & iuste Reges trucidari posse profitentur, & in his factis fortitudini locum esse putant.

Alia fortitudinis pars in laboribus.

Nunc ad aliam fortitudinis partem dilabetur oratio; nimirum, laboris Tolerantiã non tam periculis, quam molestijs propositam. Labores communi saluti aut priuatę vtilitati necessarios, vel otij, desidiæ, inertię, aut voluptatis causa qui subterfugere conantur, omnia officia & præcepta iustitiæ pro nihilo putant; qua omissa,

missa, omnis laus fortitudinis penitus tollitur: ea enim lege nati sumus, vt non ex inertia voluptatem, sed ex labore gloriæ & vtilitatis aliquid adipiscamur. Recte igitur præcipiunt, qui adolescentiam & ineuntem ætatem in labore patientiaq; animi & corporis exercendam sentiunt: vt cum ad maturiorem ætatem accedant, minore dolore & molestia grauiores labores perferant: nam à teneris assuescere multum est. Qui enim otiosam vitam deligunt, quia est facilior & paucioribus periculis obnoxia,

noxia, laborioſam deſerunt, quia pluribus periculis eſt ſubiecta, ſibi conſulunt, ſed patriam negligunt. Eſt tamen hæc vita ad claritatem & amplitudinem aptior, ad veram vtilitatem fructuoſior: tum ad res magnas aſſequendas accommodatior. Ex quo fit, vt obſcuro loco nati homines infimi ordinis, aut doctrinæ ſtudijs diligentes, aut in rebus bellicis tractandis expediti & periti: aut in rebus ruſticis colendis laborioſi, ſummam in Republica dignitatem ſint adepti. Dij enim laboribus omnia vendunt.

Tullius

Tullius Hoſtilius adoleſcens, occupatus diligenter in pecore paſcendo, propter eam quam habuit in labore tolerando animi conſtantiam, tum propter corporis robur, vir imprimis nobilitatus, tandem Romano imperio præfuit, maxima rerum geſtarum commendatione honorifice inſignitus.

Neq; moleſte quiſquam ferat, ſi in hoc regno omniũ ordinum optimorum copia florentiſsimo, multas familias ab infimo loco elatas, diuitijs auctas, & ſplendidiſsimis honoribus amplificatas, reperiri poſſe ſtatuam:

am: quarum alij rei militaris gloria, alij legum cognitionis prudentia, alij aliarũ artium liberalium studio mirifice floruerunt: & melior est parta, quam innata nobilitas. *Qui genus iactat suum, aliena laudat.* Quare non recte sentiunt, qui detrahi de sua nobilitate aliquid putant à maioribus accepta, si eandem tanquam nouam recenseri aut enarrari audiant: sed potius operam dent, ne indigni videantur, ad quos tanti honoris aut glorię hæreditas perueniret. Acceptum tueri laborent, vt nec sibi nec suis de-

defuiſſe videantur. Quotus enim quiſquam reperiatur, cui in labore perferendo induſtria, in bene agendo celeritas, in exequendo conſilium non defuit: qui diligentiæ, induſtriæ, laboris mercedem non aſſecutus eſt gloriam.

Etſi plures ſunt iniuſtæ cauſæ prætermittendi & omittendi eius officij, quod ſpectat ad communem hominum ſocietatem: tamen nulla eſt peior, aut homine magis indigna, quam illa quę oritur ex timore, pigritia, aut voluptate, quibus qui corrumpuntur, aut tanquam

quam hauſta contagione inficiuntur, ad publica munera exequenda, tardi & inuiti, vel nunquam niſi coacti accedunt: æquius tamen erat id voluntate fieri.

Etſi labor & fortitudo finitima quodammodo videntur: vere tamen diſtinguantur. Labor enim in negotijs verſatur: fortitudo in periculis. Quare rectiſſime Orator Cicero, labor eſt functio quædam animi, vel corporis grauioris operis & muneris: Dolor autem (in quo ferendo fortitudinis laus conſiſtit) eſt motus aſper in corpore à

Tuſcu. l. 1.

ſen-

sensibus alienus. Ex quo patet, eum, qui mediocre quiddam, aut vere magnũ sibi proponit, hunc laborem cum molestia corporis, & anxietate animi coniunctum sustinere debere. Labores autem & vigilias, tum curas & solicitudines, quæ sunt ægritudines cum cogitatione, quas Respublica imponit, qui inuitus susci-pit, aut susceptas deserit, & desidiosus dicet, Quid est in hoc tam exiguo & breui vitæ curriculo, cur tantis nos laboribus exerceamus, otiosam ego vitam & ætatem sine vllo labore, & contentione

tione traducere volo? Hic si otio studeat sine negotio, negotium non fugiet sine infamia, & in otio non delitescet sine dedecore, flagitio & turpitudine. Ad otium & somnum nati non sumus, sed ad laborem & solicitudinem: nec belluarum more in delicijs est aquiescendum aut consenescendum: sed semper aliquid est agendum, in quo virtutis specimen & lumen eluceat; ne non tam Rempublicã, quam naturam aspernari videamur. Hæc legem viuendi & disciplinam singulis dare solet: desidiam odit, ad laborem

borem hortatur. Etsi cuiquam liberum sit deligere quam viuendi viam ingredi volet: à natura tamen hausimus, arripuimus & accepimus ad vitæ institutum & genus, dispositionem quandam: quam si sequamur, maiore facilitate res magnas geremus, & quod volumus assequemur. Natura enim duce, & comite diligentia, ad omnia aditus patebit facillimus. *Tu nihil inuita facies dicesue Minerua.* Qui Græciæ formã Rerumpub. dederunt, corpora Iuuenũ labore confirmari voluerunt, inertissimum & desi-

diosissimum otium interdicunt omnibus: adolescentum commendationem à sudore hauriri imperabant. Quo tempore nec otiosis Græciæ, nec intemperatis escis, nec immoderatis potationibus, nec Tobacci voracibus heluonibus locus vllus fuit. At fumo iam magis est consultum quam famæ, ventri quam virtuti, vanitati quam valetudini.

Legimus Æmilianũ Scipionem militiam alijs propter difficultatem vitantibus, sibi proposciſſe: cuius exemplo, neque erat in exercitu quispiam aut nobilitate,

aut

aut animi indole, qui saluti suæ parcere voluit, pro amplificãda aut tuenda patria. O præclarum exemplum magnanimitatis! Quæ olim Græcis dicta politice, medice & politice putemus scripta omnibus. Non minus enim homines alunt ad militiam aptos, quam ad valetudinem sanos: animi aciem intendunt: ad corporis vires augendas conducunt. O bene moratam illam Ciuitatem, & ad bene viuendum optime instructã, in qua omnes suæ artis & scientiæ insignia gestabant! quibus demonstrabant se ad

eas res gerendas esse paratos, quarum aperte cognitionem profitebãtur. At nunc quam multi sunt, qui si cogerentur prę se ferre instrumenta ad aliquam operam necessaria: fistulam tantum fumosam in ore gererent, nisi tanquã milites fortasis succincti essent gladio, cum nec arma nouerint, nec castra, nec aciem, nec hostem vnquam viderint? Minime profecto dubito, quin multa sunt exempla hominum nostratium, quorum vitæ institutum si sibi ante oculos ad imitandũ proponerent, melius sibi prospicerent,

rent, ſaluti ſuæ & fortunæ prudentius conſulerent. Sed in popinarum tenebris otioſi deliteſcentes, propter metũ doloris laborem conſequentis, lucem intueri non audent: & fumo tanquam cibo paſti, nihil in ſe habent ſolidi, nihil homine dignum, ne boni viri pilum. Ex quo fit, vt alij rapinarũ, alij latrocinij, alij ſtuprorũ, alij homicidij ſceleris conſcij, impuriſsimam vitam, cum miſerrima morte commutent. Quid enim aliud ab eis expectare debemus, qui tanquam belluę, Dei immemores, communis in Rem-

publicam muneris obliti, in ſeipſos inimiciſſimi, nec Solem aſpiciunt orientem, nec nocte tempeſtiue decumbunt. Horum hominum patroni & nutrices ſunt popinæ & lupinaria, in quibus omnem adoleſcentiæ & ineuntis ætatis errorem fugunt Iuuenes, Tobacci fumo inflati, & aquæ vitæ ſubtili ſpiritu veneficati. Magnum eſt hoc in Republica malum, & extimeſcendum; cuius ſi ſe vindicem Deus præbeat, quas pœnas luent homines ſcelerati atque impij, non modo corporibus moleſtiſſimas, ſed animi

angore

angore & conſcientiæ cruciatu? Atque huius peccati etſi multę ſunt cauſæ, tamen nulla eſt maior quam otium, vnde veriſsime Poeta: *Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.* Quare qui imminens & huic flagitio debitum ſupplicium vitare volunt, aut rebus bellicis ſe exerceant, aut labores quotidianos ſuſcipiant, aut aliquid agant quo adoleſcentium ætas à libidinibus arceatur. Atque his etiam eſt prȩcipiendum, vt exercitatione ludoque campeſtri potius vtantur, quam vrbanis & domeſticis. Habent enim domeſticæ

ex-

exercitationes ludiq; plerumq; comites ebrietatem, immoderatas potationes, aut intemperatas escas: quibus iuuenum animi in illum errorem incidunt, quo proclives fiunt ad libidinem. Nam sine Cerere & Baccho friget Venus. Assuefacienda igitur sunt hominũ corpora assiduitate quotidiana & consuetudine, vt ad laboris & doloris molestias perferendas sint aptiores, tum sudore defatigati, ad Venerem sint tardiores.

Quæritur Oegistus, quare sit factus Adulter?

In promptu causa est: Desidiosus erat.

Neque

Neq; ſolum moderata laborum conſuetudine corpora reficiuntur, & recalefaciendo, Colorem & Carolem naturalem tuentur: ſed animi dotes corporum ſordibus expurgatis per labores, multo fiunt alacriores, & ad ea præſtanda quæ ſpectant ad animam, magis habiles & propenſiores. Quis enim non videt in ſomno, animum poſt laboris à ſocietate & contagione corporis ſeuocatum, quaſi diuinitus præteritorum meminiſſe, præſentia cernere, futura prædicere & prouidere? at interdiu rerum

aſpectu

aſpectu oculi, aures quas varij ſoni complent, tum motus corporis inconſtantia, animũ auocent ab ijs rebus, in quibus eius virtus potiſſimum ſpectetur. Tum humores otio incraſſati, & ventilationis defectu corrupti, mentis aciei caliginem, & quaſi tenebras offundunt.

Exercendum igitur corpus eſt, ne deſidia conſopitum, animi lucem impediat: nec committendum vt cum ſenſus hominum, ſenſibus antecellant beſtiarum, ea ſequi videamur, quæ beſtiarum potius

tius quam hominis naturam attingunt. Atque hæc de Fortitudine & laboris tolerancia dicta sunto.

FINIS.

Errata sic corrigenda.

In Tit. Ætonius, leg. Ætonensis. pag. vlt. ad Lect. commemorabilius, l. commemorabilibus. p. 22. videantur, l. videntur. p. 30. vir, l. vis. p. 31. diuertabat, l. diuertebat. p. 41. Gigontium l. Gigantium. p. 94. quo, l. quibus. p. 95. ventro, leg. veratro p. 99. voluerunt. l. voluit. p. 100. adipiscuntur, l. adipiscitur. p. 129. quod, l. quos. p. 158. luente, l. lucente. p. 185. fortitudo, l. fortitudinis & sic ad finem. p. 215. acerbitate, l. acerbitate.